

V
B
J
C
53745
I

REVERENDI PATRIS ADAMI MALCZEWSKI

è Societate JESU.

THEOLOGI

THEOPHRASTUS.

Sive

Novæ Philosophiæ Opinionum DE PRINCIPIIS CORPORUM *Curiosa* Per Dies Tusculanenses à Scholis vacantes

DISCUSSIO.

OPUS POSTHUMUM.



POSNANIÆ

Typis S. R. M. Clari Collegii Soc: JESU
Annô Domini 1758.



Philoſophiam animô non deponas, licet, dum eam Fide condias, & Religione conſerta utâre ſapientiùs, ut ſis DEI Philoſophus.

S. Paulinus Epiſt: 38. ad Jovium.

Theophraſtus, Divnitate loquendi, nomen invenit.

Cicero in oratore.

Equidem hos Tuos Tuſculanenses dies, inſtar eſſe vitæ puto.

Cic: ad M. Terentium.

JLLUSTRISSIMO
AC
EXCELLENTISSIMO
DOMINO DOMINO
MATHIÆ
SKARBEK
MALCZEWSKI
Sąntencenſi Caſtellano, Loricatæ Cohortis Vexillario
REMPUBLICAM
Juxtà ac Clariſſimam Familiam
Togâ ſimul ac ſagô,
Pietate Chriſtiana
ECCLESIAM
EXORNANTI.
Patrono ſuo Beneficentiſſimo,
ſe, ſuaq; dicat
Devinctiſſimum magno nomini Posnaniense Collegium Societatis JESU.

IN AVITUM DECUS
A memori posteritate legar *Ovidius.*
Restat, ut adscribat littera nostra, vale *Idē*



Authorem ne quære Virum, quem pagina nacta,
Prodeat, aut quasi fulta patrociniô.
Perlege stemma Domûs, laudem Patronus & auctor
Cunctorum vincit, vincit & invidiam
Siu dubites, hoc ipse Deo da stemma legendum.
De cælo, magnos, Maximus ipse legit.

Sarbievius.



JLLUSTRISSIME AC EXCELLENTISSIME DOMINE



Ausæ scriptoribus quæcunq; uspiam extiterunt, commentariis ut suis ac scriptionibus Magnorum Virorum adsciscerent patrocinium; utq;. veteres quemadmodum clarissimorum Majorum imaginibus atria exornabant,

ita

ita isti in ipso librorum suorum vestibulo amplissimorum Hominum nomina collocarent, eas omnes, tuis ut sub auspiciis Illustrissime Castellane, Magni Majoris Poloniæ & Oratoris & Theologi posthuma lucubratio in lucem emitteretur publicam, concurrisse putaverimus. Sunt scriptorum non pauci, qui suis commentariis, splendoris non parum accumulari putent, abs claritudine eorum, qui primi legentium incurrunt in oculos. Tum enim probatissimorum Virorum testimonium quasi ostentantes, omnium, quos deinde nanciscentur, Lectorum, tanto nixi præjudiciô, suffragia sibi adpromittunt. Ac sanè libello isti splendidior poteratne Patronus obtigisse? quàm cum Tu in fronte legeris? qui quidem & antiqua florentissimæ stirpis Nobilitate, & primarum ac Principum in Regno Poloniæ magnoq; Lithvaniæ Ducatu Familiarum proxima cognatione,

tione,

tione, & Materni Paterniq; sangvinis per omnes pene purpuras fœcunda dispensatione, (*) & gestorum maxima cum laude munerum incredibili commendatione, & eximia cùm indole, tum multo rerum usu confirmata ingenii solertiâ, lucubrationi isti singularissima videaris impertiturus ornamenta. Sunt scriptorum alii, qui amplissimos idcirco quærunt sibi Patronos, ut eorum se authoritate gravissima, contra malevolorum & invidiam & criminationes tueantur, existimationem illi suam, sinistris hominum sermonibus non ita facilè credunt deformandam, quam Principum Virorum gravitate defensam, & quodam veluti firmissi-

Nempe Jllustrissimi MATHIAS MYCIELSKI Posnaniensis Castellanus & JACOBUS DZIAŁYNSKI Mariæburgensis Palatinus Christburgensis Murzynoviensis(?) Præfectus ambo Equites aquilæ albæ multiq; ex Jllustrissimis MIASKOWSCIORUM ac ZAKRZEWSCIORUM aliorumq; Clarissimorum Virorum Familiis, Fratres sunt Jllustrissimi Castellani per suam de NIEGOLEWSCIIS(?) Matrem Filiam Vexillarii vulgò Vexilliferi Posnaniensis. Principes RADZIWIŁ Exercituum M. D. L. Ductor supremus, & JABŁONOWSKI Præfectus Kovelensis per suæ Matris neptes, eorumdem Conjuges, Celsissimi sui sunt affines, totaqs pene Major Polonia,

mo

mo vallo communitam vident; atq; si insolentior aliquis Aristarchus censoriam contra se attollat virgulam, ejus convitia, potentis Patroni opinione ac gratia jam putant refutata, dissipata, difflata. Et istud potiore libello isti pollicemur fiducia; namq; seu ad Senatoriam, quâ ornaris, & quam ornas, respectaverimus dignitatem, seu vitæ fuerimus honestissimæ intuiti rationem, qua per omnium ora dimanante latè, ad magnam venisti existimationem, seu vigentes domi res, fundatasq; bene atq; optimè constitutas opes inspexerimus, totidem videlicet retinendæ authoritatis adminicula maxima, dubitare non possumus quin tectam se atq; contra criminatorum tela umbone quodam veluti, tuo defensam abundè Patrocinio, ista viri doctissimi commentatio fateatur. Quid? prætereamus ne illos, qui labores suos sub munificentissimorum idcirco Patronorum nomine apparere ac cir-

circumferri volunt, ut hac videlicet ratione & suæ erga illos observantiæ documentum perhibeant, & quantulamcunq; hanc congestorum in se beneficiorum aut faciant compensationem, aut facere cum non possint, facere saltem velle ostendant. Quo quidem in loco oblivio nobis nulla eripuerit, illam, qua Domus universa Malczewsciana Societatem prosequitur, benevolentiam, & cujus amplissimæ, documentum sunt, tot clarissima Inclytæ Domus Pignora spes & futurum Patriæ ornamentũ, nostræ institutioni commissa, maxima Scholarum nostrarum splendoris accessione: ut intelligeres proinde Illustrissime Castellane grati animi fidelem memoriam plurimùm apud nos valere, existimavimus gratiam à nobis tibi referri aliquã si Viri illius, cui Vobiscum arctissima & nominis & Sangvinis necessitudo intercessit, & qui Religionem nostram amplissimis promeritis cumulatè ornavit,

vit, commentarios, à pulvere & tineis vindicatos, & ex tenebris extractos in lucem, sub Tui nominis Clarissimi splendore ederemus. Quanquam enim & Nomen gloriosissimum quod successione à Majoribus accepisti, & præstantissimæ animi dotes, quas eorundem hausisti cum sanguine, & clarissima munia juxtà ac rectefacta, gloriam tuam ab hominum oblivione & ab interitu vindicatura existimentur, libellus tamen iste, nominis tui laudem ad sempiternam orbis universi memoriam censetur propagaturus. Ibit ille (num enim illi blandiri nos putet aliquis, quem ea constitutum sciamus sede, ad quam assentatio non pertingit) Ibit per ora hominum: celebraberis iisdem. Circumferetur per celeberrimas Europæ Academias: circumferere unà: sinu fovebitur eruditorum: fovebere pariter: Ætas de illo conticescet nulla: nec de Te. O nos proinde saltem non ingratos, qui Tibi repræsentemus opus, quod intuens; memoriam Malczewsciani Nominis, excipiat, alat, & tueatur æternitas. Quod quidem & optat enîxè, & spe quadam prælibat.

ILLUSTRISSIMO

Ac EXCELLENTISSIMO

TUO NOMINI


Maximè obligatum

Collegium Posnaniense Societatis JESU.

FACULTAS
Illſſimi Loci Ordinarii.
IMPRIMATUR.
JOSEPHUS
Comes de Verbno
PAWŁOWSKI
Epiſcopus Niochenſis Archi-Diaconus Vicarius in Spir: ac Offi.: Gen: Poſ: Præp: inſignis Collegiata S. Mariæ Magdalena.
Anno Domiui 1758.

THOMAS BACZYNKI
Præpoſitus Provincialis Soc: JESU per Poloniam.

CUm Opus quod inſcribitur *Theophraſtus ſive Nova Philoſophia Opinionum Diſcuſſio* aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi facta ab A R P Noſtro Ignatio Vicecomite, Societatis Noſtræ Præpoſito Generali facultatem concedo, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur In cujus fidem, has Literas manu meâ firmatas & ſigillô munitas dedi. Cracoviæ 12 Aprilis.
Anno Domini 1755.



Contra Democriti Principia.
Doctorum Sensus.

SI concesseris atomos concurſu fortuito ſe ipſas pellere & agitare? num & illud fas eſt concedere, ut inter ſe atomi concurrentes rem aliquám ita conficiant, ut eam formâ ædificent? figurâ determinent? æqualitate poliant? colore illuſtrent? animâ vegetent? Nam nec ipſas atomos eſſe, ullo modo concedendum eſt. Certe enim ipſi dicunt omnia quæ ſint naturæ, nihil aliud eſſe, quàm corpora & inane: quæq; his accidant, motum & pulſum. Dicant ergo, in quo genere ponant imagines? nam ita cenſent, ut exire à corpore, & venire ad oculos & animam poſſint. A magno enim corpore, cùm parvum corpus attingitur, á toto ſimul attingi nullo pacto

po-

potest. Quæro, utrum etiam ab ipsis atomis, affluant imagines? Quomodo jam sunt atomi, à quibus aliqua corpora separari possunt? Sed jam pudet me ista refellere, cum eos non puduerit ista sentire. Cum verò ausi sint etiam defendere; non jam eorum, sed ipsius generis humani me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt.

D. Augustinus Epistola 56. ad Dioscorum: contra Democritum & Epicurum.

Democritus à quo eruditus, hæreditatem stultitiæ reliquit Epicuro? unde ista Corpuscula? Cur illa nemo somniavit! An solus Leucippus oculos habuit? qui profectò solus omniū cæcus & excors fuit, quia ea loqueretur, quæ nec æger quisquam delirare, nec dormiens posset somniare.

Lactantius Lib: de Ira DEI.

Temporibus nostris insurrexerunt qui-

quidam Pseudophilosophi, fabricatores mendacii: volentes sibi nomen facere, studuerunt nova invenire: nec erat illis cura, tam, ut asserent vera; quàm ut putarentur invenisse nova. Præsumentes itaq; de sensu suo, putaverunt se posse facere Sapientiæ Arcam: & euntes in adinventionibus suis, tradiderunt sententias novas, arbitrantes secum ortam morituramq; sapientiam.

Richardus à S. Victore Lib: 1. de Major: Beniam:

Luce clarius est, nonnullas veterum Philosophorum opiniones usq; adeò falsas & absurdás esse, ut risum potiùs mereantur & indignationem, quàm impugnationem. Quasdam verò tam pugnantes inter se, ut planè plumbeus sit, qui putet eas ad concordiam posse revocari.


R. P. Antonius Perez S. J. admirabilis Theologus. Lib, 4to. de Principiis Cap: 10.

Democritus ab Epicuro, hoc distare dicitur, quòd ille sentit inesse concursioni atomorum vim quandam animalem & Spiritualem. Epicurus verò non aliquid in principiis rerum ponit, præter corpuscula, quæ neq; dividi; neq; sentiri aut visu, aut tactu possint. Quorum corpusculorum fortuito concursu, & animantia, & ipsas animas fieri dicit. In quibus omnibus hæc opinantium deliramentis, illud præcipue dolendum est, quòd acutissimorum hominum ingenia id etiam negotii susceperint, ut copiosè ista refellerent, quæ statim dicta, etiam à tardissimis derideri abjiciq; debuerunt. Tanta est cæcitas mentium, ut etiam ista sententiarum portenta, otia Doctorum conterere disputando potuerint,

D. Augustinus Dioscoro ut supra.



PRÆFATIO



Nihil, quod mortalium cupiditates provocat, magis omnibus in optatis est, quàm Senectus; nihil, quàm quod mortales tantopere discupiunt, exosum ærumnosumq; magis. Quem mihi dabis vel ultra Pilii annos provectum, qui etiamnum in longiores curas vela votorum suorum non pandat? qui prola-

prolatioris vitæ curriculi pollicitationibus non gestiat? Ita est.

Solicitis vitam consumimus annis,
Æternisq; senes curis, dum quærimus ævũ,
Perdimus, & nullo votorum fine beati,
Victuros agimus semper, nec vivimus unquam. (*a*)

Quem iterum mihi dabis, quem exacti diuturnioris ævi pœnitudo non mordeat? non angor torqueat? prorogatæ lucis tædia non discrucient?

Omnibus est optata senectus: ast ubi venit,
Accusatur, & est grata futura magis (*b*)

Præclarè Seneca, Heu quàm multa pœnitenda incurrunt, vivendo diu! Quot enim & quantis acerbitatum undis conflictatur Senium, quis dinumerabit? Hebescit animi vigor, sensuum acies obtunditur, obtorpescunt vires corporis; cáligat defecta memoria, ingravescit languor: invadunt morbi, nunc singuli per intervalla; nunc agmine circumveniunt.

Quædam malorum ara est senectus, somnium:
Adeò videre est cuncta ad hanc concurrere. (*c*)

Ad

(*a*) Manilius Astronom: lib: 4. (*b*) Menecrates. (*c*) Aristophanes.

Ad ejusmodi pœnalem ætatem, quæ, si aliqua Poëtæ fides, morte magis metuenda est. (*d*) *non intempestivè quidem, neq; ante numerum, vel canos; præter tamen fiduciam meam velociùs, & quàm vellem, maturiùs perveni. Derepente enim infesta valetudine percussus, & brevi labefactus, officiis laboriosis impar, clypeum abjicere, & tanquam exauctoratus miles statione decedere, salubriusq; cœlum petere coactus sum.*

Ergo medicorum consultis parere jussus, in Collegii suburbanum Prædiolum, convasatis libellis transtuli me. Ex adverso istud Civitatis, versùs occidentalem plagam in editiore clivo situm, exquisita cœli temperie se se commendat, cui adjacet hortus amplissimus miræ amœnitatis, sive artis topiariæ oblectamenta spectes; sive, qua parte, molliter devexa valle dirimitur, ludum artis hydraulicæ. Ædificia hortensi commorationi facta, omnes commoditatum articulos habent. Porriguntur in lineam longo recessu viridantes porticus, partim carpineis, partim tiliæ tonsæ parietibus in arcum coëuntibus umbrosæ. Quarum una ducit ad Oratorium

 ad

(*d*) Juvenalis.

ad instar Sylvestris eremitarum Asceterii structum, ubi & Lararium peragendis Divinis accommodatum: & domunculæ sparsim dispositæ, sacris commentationibus, solitariæq; cælestium contemplationi, affabre pictis Imaginibus adornatæ. Altera in lævum tendens, gradientem, sensim in labyrinthum conjiciet, tam vario & inextricabili semitarum meatu flexuosum, ut te antè & retro euntem ac redeuntem, ab artefacti erroribus arboreti expedire non possis, nisi gnaro viarum monstratore. Cujus ductu, ubi in medio constiteris; deprehendes hortum similem Paradiso, in quo frequens explicat se malus Punica malogranatis onusta, pometum ficulneum, & seges arborum, aurea poma germinantium, qualia Matthiolus vocat poma Adami. His accedit balneolum non amplum, sed perelegans, aquarum tepentium canaliculis instructum: & turricula sive specula, unde prospectus in latè excurrentes campos patet, quos fluvius velivolantium pariter, atq; trabiariarum navium patiens præterlabitur. Hinc & totius Civitatis facies, atq; Urbi continentia oppida facile perviderі; & sudo per noctem cæli vultu, astrorum Planetarumq; motus, opticæ beneficiô perlustrari observariq; possunt. Hoc

Hoc rusculum, sive ob elegantiam voluptatemq; loci Thusculum; sive ob salubritatem aëris Tiburtinum vocites; ineunte Vere cœpi incolere: sensiq; cis pauculas tempestates, meliuscule mihi esse: paulatim verò adhibita curatione, sed vel maximè præceptionibus empirici mihi assignati diligenti obtemperatione, confirmata valetudo est, & quantùm recoqui senilis constitutio potuit, proximè ab Idibus Maji, tantùm non in integrum restituta.

Majæ Calendæ, ut lætabilissimam recreantis se se, repubescentisq; anni partem evolvunt; ità literariæ Juventuti solent frequentiores à Studiis Vacationes indicere: Per quod, tempus, Præceptores & Magistri, atq; uberiorum facultatum Professores, Philosophi, Theologi, sæpius, animi recreandi causâ, in suburbanum hunc multarum deliciarum agrum ventitabant. Quos inter, duo mihi ex antiquo intimi, meiq; in paucis perstudiosi, Minervinus, & Musonius, visendi gratiâ me convenerunt: uterq; in omni Sapientiæ studio consummatus, & Cathedræ Philosophicæ uterq; Doctor. Hi, ut erant consensione animorum conjunctissimi, & corde unani-

unanimes; ita in opinionum delectu divisi. Altero, Systema Aristotelicum scrupulosè sustinente; licentiosiore altero, & in captandas novitates nimiopere proclivi. Secare litem ut vellem, conciliatorem me sibi ambo exoptaverunt.

DISCUS-



DISCUSSIO I.

Examinatur Causa Aristotelis



Elebrat D. Augustinus Mediolanense balneum, juxta quod diuturnos profundæ disputationis sermones, suo cum Alipio, describit se habuisse. Impar longè, non omnino tamen absimilis fortuna mihi contigit. Factum enim est, ut me ad balneolum pios libellos meditantem, su-

pra dicti Philosophi invenerint. Hìc accepta & data consalutatione, & ut mos religiosæ charitatis est, amplexu mutuo, postquam consedimus; Minervinus incipit. Maximo nos solatio recreat, renata & redux cum sole novo, cum grandibus Astris, incolumitas tua, & tam vivida, quam cernimus, salutis, in provectiore licèt ævo, firmitudo. Te enim nuper, Optime Theophraste, invaletudine prostratum, incredibili mærore deplorabamus. Quibus ego: Perspecta mihi pridem sunt, & nunc perjucunda habeo vestra erga me amoris officia & propensionis argumenta. Verùm quid est Minervine? Videris mihi ex memoria mè penitus deposuisse. *Minerv:* Ego verò tui aliquando deposuerim memoriam? Priùs lusciniæ cantio deerit, myricæ citiùs poma ferent, albosq; corvos & cancros volantes citiùs videbis. Objeci: Atqui video vel Nomen ignotum tibi meum esse. Si nescis? *Theodatus* ex fonte Salutari emersi. In Athleticam verò militiæ Christianæ initiatus, nomen indui *Quodvultdeus.* Hunc Sanctum Pontificem mihi in Patronum adoptavi, utpote Divinæ voluntatis Secta-

Sectatorem & adoratorem vel ipsa nominis professione cupidissimum. *Minerv:* Scimus, & hoc nobis non amplius imprimet Ammon. (*a*) Nunquam tamen alio, quàm Theophrasti nomine à nobis celebrabere, noscêre, vocitabêre. Quæ vestra insolentia? dixi, aut quæ ratio? ut, cùm Vestra Nomina Divorum sint; (*b*) mihi nomen profanum & Græcum inuratis? Quis iste Theophrastus? Credo inter omnes cæli Incolas, istius nominis reperiundum nullum. *Minerv:* Quidquid sit, Aristotelis ille discipulus carissimus fuit: & ab ejus morte, in Peripati exedram successor: bis mille Aristotelicæ Sapientiæ Auditores in Schola numerabat. Totamq; Græciam, in uno Lycæo, Magistri sui eruditione imbuit, atq; omnium Philosophorum Sectas, Pythagoreos, Eleaticos, Scepticos, Epicureos, omnem deniq; temerè digladiantium opinatorum turbam obscuravit, dejecit, dissipavit. Suorum verò hiliades discipulorum, magnus certè Aristotelicorum Exercitus, per Orientem fusæ, perpetuum Stagiritæ in Philo-

(*a*) Lucanus. (*b*) Sancti Musonii M. 24. Jan: S. Minervini M. 31. Decemb:

Philosophia Principatum & Regnum asseruerunt.

Si ita est, inquam, non abhorreo à tali appellatione. Ductus præsertim amore Angelici Doctoris. Hic certè Divinus Ecclesiæ Doctor, Aristotelis fidelissimus discipulus juxtà, ac Commentator esse, atq; adeò quasi alter Christiani Lycæi Theophrastus haberi voluit. Porrò Divi Thomæ sive naturalis, sive cui cum hac non parvi æstimanda connexio est, Divinioris Scientiæ Doctrinam, quanti nos facere oporteat? manifestavit latratu errorum architectus: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam.* Et cùm nullus Aristoteli possit bellum indicere, quin simul adversantem ubiq; ac inimicum sibi sentiat Aquinatem; acutè pervestigandum est, quò tandem collineat hæc novissima, in evertendum de Principiis Corporum Systema Aristotelicum, conjuratorum manus? utrum consimilis animi voto non turgeat?

Patiar igitur Theophrastus à vobis transnominari. Verùm hoc frustra vos mihi: longè aliam Philosophiam nunc meditanti. *Musonius.* Quam & qualem? Carthesii

forte, Gassendi, Nevtoni, Volfsii, quæ hac tempestate invalescit Physica, tuas quoq; titillavit fibras? *Theophr:* Apage sint, nova hæc opinatorum portenta. Jllius duntaxat Sapientiæ studiũ unicè & continuò me exercet, quæ mortuos laureolâ & annulô donat. *Minerv:* Ut video, mortis cogitatio totum animi tui ingenium occupavit. *Theophr:* Quidni? non legisti monentem Horatium?

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Hæc præmunitio si ad omnes est, quantò magìs custodienda grandævo mihi, nullam non horam ceu supremam pertimescenti. *Musonius:* Atqui Cælum bonum, immò faventissimum habet villa, quam circumcolis. Salubritate, amænitate nec Thusculo, nec Tiburi cedit. *Minerv:* Circa præsentem quem præfers, experrectum, vegetum, quà corporis, quà animi vigorem, adhuc vel recoctum æsonem superare poteris. *Theophr:* Næ tu mihi Græculus assentator es Musoni, simulato amici vultu. Putas aliquam terræ plagam tam beatam esse, in quam dura mortalitatis necessitas non perrumpat?

Nullô fata locô possis excludere: cùm mors Vene-

Venerit; in medio Tibure Sardinia est.
Hoc tibi dictat Martialis. Sed audi Horatiū.

Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet; non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem
Non avium Citharæq; cantus.

Bonitatem tranquillitatemq; soli & auræ optimè temperatæ; vel fortè àëdonum, quas cantillantes audis, modulationem existimas differendæ morti profuturam? illudis mihi: sed fortè graviùs illudis tibi. Horatius certè saniora te docebit.

Frustra cruento Marte carebimus,
Frustra per autumnum; nocentes
Corporibus metuemus Austros.
Visendus ater flumine languido
Cocytus &c. Linquenda tellus & domus.
Nec mortis laqueis expedies caput.

Tibi verò Minervine, quid accidit? ne dicam cum Virgilio, O! Coridon, quæ te dementia cepit? quòd mihi satìs superq; jam annorum saturo, nescio cujus longævitatis spem augeas? Comperistine aliquam ætatem, quæ fuerit senectute superior? Disce sapientiam ex ore Augustini. *In adolescentia speratur juventus: in juventute speratur gravitas: in gravitate spe-*

te speratur senectus. Hæc autem aliam quam speret ætatem non habet. Certum est nullam remanere ætatem, quæ possit succedere Senectuti. (c) Sed largiamur hoc tibi: pone, me diutissimè victurum: pone cœævis omnibus, & vel mihimet ipsi futurum superstitem. Quid sunt algoribus necatæ viticulæ racemarii pampini, ad messem vindemiarum? Quid vergentis in noctem lucis crepusculum, ad diem æternitatis? Adduc coràm omnes Macrobios: omnibus Romanus Philosophus quid intimabit? *Punctum est, quod vivimus.* (d) Punctum, inquam, & momentum brevissimum, si ad illam interminati, infiniti, immutabilis ævi perpetuitatem, oculum mentis reflectas. Punctum est vita hæc mortalis; sed punctum, quod totam æternitatem librat. Hoc immensæ, perennis, nunquam finiendæ Beatitatis adeundæ studium, mortisq; sanctè ac feliciter oppetendæ scientia, Philosophia est, quam si vel triplex Nestoris ævum vivendo viceris, nondum satis didicisti.

Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
Quærenda sibi mortis habet. Lucanus.

Quarè

(c) D. August: Epist: 110 (d) Seneca Epist: 50

Quarè, hæc una commentatio diu noctuq; me distinet, qua ratione cariosa vitæ oneraria, ab hac temporis miseri tempestate, ad æternitatis portum trajiciet? ne calamitoso naufragio abrepta, in aliquod truculentum caliginosum, horridum, & inhospitale littus deferatur. In cujus tam magnæ consequentiæ negotii meditationibus defixum, mirum in modum adjuvat me, & supra quàm æstimari potest, oblectat *Boëtius scribens de consolatione Philosophiæ.* Libellum hunc nunquam è manibus dimitto. Auctorem verò, qui & quantus Vir ille fuerit? scitis utiq;. *Minervi:* Non satis nobis constat claritas Viri, & eruditio; à te cupidissimè poscimus edoceri. *Theophr:* Romanus hic patritia Gente nobilissimus, vir consularis, Senator Urbis, & in annum quingentesimum decimum, Consul, à Theodorico Italiæ Tyranno, pro fide Martyr, seculo reparatæ salutis quinto, & in sextum floruit, sapientia & virtute Maximus. Isti debemus Aristotelem Romana Civitate donatum. Adhuc enim juvenis in Græciam navigavit, Athenas se contulit: Athenis totum se, per annos octodecem

studiis

studiis Philosophicis impendit. Quid putatis? quantam & qualem ille sapientiam, tanto vitæ spatio inibi collegit? qualem in Latium invexit? Nondum forte exoleverat, nec Magistrorum inops, & ab omnibus desertus erat, cuncta ex atomis non interituris componens Epicurus: non Pythagoras, ex numeris, & Mathematicorum initiis (ut enarrat Cicero.) omnia volens proficisci: Non exulabant Pyrrhonei, seu Sceptici & Mechanici Philosophi. Habuit suos Sectatores Xenophanes, Eleaticæ Sectæ Caput, terram & aquam rerum Principia ponens. Quid Divinus Plato? quid ejus Academici? de omnibus facundè & doctè dubitantes; ad ultimum concludentes nihil. His igitur fortè Ducibus & Authoribus in immensum profecit Boëtius? Quòd si tetra oblivione fortè jam inobscurati, sepulti, & obruti fuere aliqui ex istis? unum duntaxat Lucretium Poëtam legisset ille; omnem tot Sapientissimorū Philosophiæ Numinum (si unicum & nudum Aristotelem exceperis) redivivam Sapientiam devorâsset. Sed non in ejusmodi Veteramentariorum, nisi quis correctiùs di-

cere

cere maluerit Veteratorum mercibus comparandis, operam perdere voluit, acris & sinceri vir judicii: contrita vetustate Democriti, Leucippi, Epicuri, & cum his delirantium Eleaticorum Scepticorum &c. somnia, non citiùs perspexit, ac sprevit. Aristoteles ut primùm illi degustatus est; totum cor ejus rapuit. Hunc uni ũ, tanquam clarissimæ veritatis lumen, ambabus ulnis amplexus est: tantoq; amore in Peripateticorum disciplinam exarsit; ut eam solam judicaverit se Romano & Christiano dignam. Neq; satis habuit totum stagiritæ ingenium studio comprehendisse; adjecit animum, ut totum ex Græco, latinæ fidei redderet. Difficillimo itaq; labore suscepto; maximis sudoribus, vigiliis, curis exantlatis; hunc Philosophum summa accuratione interpretatus est: omnesq; ejus libros in Romanam linguam transtulit: quæ obscura videbantur, dilucidavit: quæ perplexa, enodavit: quæ ambigua, exposuit: & notis felicissimè illustravit. (e) Postquam deinde seculo octavo, artes liberales

(e) Baronius ad Annum 510. & Boëtius ipse l. de Discipl: Scholast: cap: 4.

rales & disputatrices Scientiæ, Caput sub Carolo Magno efferre cæperunt; confestim certantibus animîs, omnes Scholæ, Gymnasia, Academiæ, Lycæa, Aristotelem quasi de Boëtii manu acceptum, in Severioris literaturæ Principem & Magistrum, unanimi optione sibi præstituerunt.

Quid vobis videtur? Jure an injuriâ agunt novi isti Homeromastiges? (f) qui ex Arabum incude seu tenebris, sæculô circiter undecimo, vel duodecimô, quô, Mauris Hispanias occupantibûs, Averroes & Avicenna Arabes Philosophi Cordubæ apparuerunt, Aristotelem tunc primùm, Europæis Academiis innotuisse, & inclaruisse fabulantur? Non scientes volentesq; fallunt? ignaris rudibusq; non egregiè imponunt? *Minerv:* Non egregiè, sed pessimè petulanterq; manticulantur. Meras enim tricas, ambages, futilitates

(f) Homeromastix, id est flagellum Homeri, dictus est quidã Momus qui Iliadẽ Homeri & Odisseã edito con rà librô petulãtissimè reprehẽdit Cõpetit hoc nomẽ per Antonomasiã quibusvis Jllustriũ Virorũ Cavillatoribus. Quẽadmodum Plinius Carptores operũ suorũ vocat: *Ut obiter caveã istos Homeromastigas.* In Proæ: Hist: Nat:

litates elatrant, & præstigias. *Theophr:* Parce maledictis Minervine! parce iracundiæ, parce tibi: à conviciis cohibe te. Philosophus es? tempetare verbis & animo, in te cadit. Philosophum probat sedati castigatiq; oris modestia; blateronem, rabulam, inconsiderata, ferox, procax, improba insectatio. Convitium si feceris, audies.

Volebam me ab interventoribus, quanquam mei peramantibus, mihiq; percaris, ut qui svavitatem filiorum apud me obtinebant, liberare: nihil enim mihi erat solitudine amicius. Cùm suborta inter illos altercatio tenuit me. Instituit enim sermonem Minervinus. Sanè in tempore me officii commonuisti Theophraste. Non procul enim abest, cum quo continua mihi lis geritur & dimicatio. *Theophr:* Ubi versatur, ubi degit ille? *Minerv:* Exagitator meus coram est. Cernis illum. *Theophr:* Musonius te exagitat?

In caput alta suũ labentur ab æquore retro
Flumina, conversis solq; recurret equis.

Tecum simultates exercet Musonius?

Terra feret stellas, Cælum findetur aratro,
Unda dabit flam̃as, & dabit ignis aquas.

Ovid: Mi-

Minerv: Quî ego cum illo amicitiam colere, aut aliqua consensione illi cohærere possim? qui ex Castris Peripateticorum transfuga, obfirmatè partibus inimicis studet? *Theophr:* Fortè in decisionibus Philosophicis inter vos disconuenit: sed hoc solenne est Disputatoribus. Dissidiô igitur sententiarum alienati estis, non animorum. Nam opinationum discordia, non tantùm valet, ut tollat è vita amicitiam. *Minervinus.* Facilè assentior, ubi communis inter Doctores controversia, quantumlibet acriter & pugnaciter, salvis tamen rerum Principiis, exputatur. Sed non, ubi parricidii causa vertitur. *Theophr:* Musonium igitur parricidii reũ facis? cohorreo! *Minerv:* Facio reum evidenter & authenticè quidem. In Peripateticorum enim Principem & Magistrum ferrum exacuit: in Caput, in jugulum, in Cor Parentis pugionem expedit. *Theophr:* Non satis quidem liquidè capio crimen, quod Musonio intentâsti. Si quid tamen suspectione assequi possum, in culpam fortè vocas, eum in definiendis rerum corporatarum initiis, non omnimodè cum Schola Peripateticorum conci-

concinere; secessionemq; moliri ad contrariam factionem, cujus conatibus, renata est veterum Philosophorum, Democriti, Leucippi, Epicuri opinio, cuncta ex corpusculis nunquam intereuntibus componentium: ex quorum varia complexione ac motione, conficiantur universa illa, quæ in Aristotelis Schola tribuuntur procreationi cujuspiam novæ formæ. *Minerv:* Hoc immane flagitium est: hæc intoleranda perfidia: hoc prævaricationis scelus maximum. *Theophr:* Danda est audientia parti alteri. Memini enim Tragædum dixisse:

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera;
Æquum licèt statuerit, haud æquus fuit. (g)

Procul à me talis iniquitas. Proin, Dilecte Musoni, si quam in adversarium depulsionem adornâsti? audiam. Age! strenuè & audacter, ab impacta criminatione vindica te. Ego perattentus auscultator, utraque aure faveo tibi.

Pro-

(g) Seneca in Medea.

Promit Defensionem Musonius.

Si alio Quæsitore coram causa mihi dicenda, defensionisq; arma expedienda forent; percelleret me forsitan Actio, quâ jugulum meum petit Minervinus. Sed dum te existimatore hodie de palma confligimus, quo Magistro & Præceptore olim subtilioris Philosophiæ Curriculum uterq; confecimus; Te Arbitro in Judicium res devoluta est; quô tanquam peritissimô trierarchô scopulosum illud reconditæ sapientiæ profundum ambo exantlavimus; tam præfidenti animo sum, ut jam propè manibûs tenere Victoriam mihi videar, & victam accusationem. Neq; enim vel fugisse memoriam tuam, vel scientiam præteriisse potest illa pro tuendis Aristotelicis effatis mea pugnacitas, meus ardor, meum, pro sustinenda qualibet vel minima Stagiritæ, tanquàm Divina propositione, incensum studium. Unde igitur tam inexpectata conversio?

unde transfiguratio tam subitanea? ut me insimulator meus, à me ipso descivisse miretur. An fortè ex aliqua inconstantis animi facilitate, aut volubilitate ingenii novare & vertere sententias idonei, natam esse? Ab ejusmodi censuræ labe, Theophraste, vel tuô testimonio integer sum. Quid enim? an me, vel in propugnandis Thesibus non ingenuè strenuum, parumq; constantem, parum robustum agnovisti? Vel in dispellendis oppositionibus, frigidum & ambiguum aliquando suspexisti? Odi bilingues Philosophos: odi desultoriam velitationis calliditatem: odi colores commutantem polypum: odi variabilis judicii viros, qui toti ad alienum propositum accommodati, ceu turribus impositus gallus, ad cujuslibet auræ & oræ Spiritum, vertuntur & vergunt. Quid igitur inferes? Si in aliqua Philosophiæ parte, à Peripateticorum sanctionibus dissentire vobis videar? id non temerè, non ex aliqua inconsultæ, mobilis, fluxæ, vel obtusæ mentis imbecillitate provenisse, sed ex gravissimis rationibus, quæ suis momentis, suo pondere, suâ trutinâ vel quadratum

dratum virum flectere valeant, & permutare. Illudq; mihi carmen accines.

Momentumq; fuit mutatus Curio rerum.

Lucanus.

Et prima quidem atq; fortissima ratio est studium perscrutandæ, amor inveniendæ veritatis. Hic ego celebre illud Stagiritæ classicum jure mihi vendico. *Amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas.* Idem assumo: Amicus mihi Aristoteles, sed magis amica veritas. Agnosco & suspicio sapientissimũ, admirandum, incomparabilem, Divinum esse Magistrum; sed non singularem nec unicum. An enim veri indagatrix Regina Sapientia, in alios omnes invida & parca, in unum Aristotelem universum lumen profudit? isti soli se concredidit? seq; despondit? omnesq; opes, Regnum, & Solium uni elargita est? Si illum veluti quoddam veritatis Numen esse creditis? Hanc laudem Plato ipsi præripuit, qui *Veritatis arcanum, & Deus Philosophorum* haberi meruit. Si fontem, Parentemq; Philosophiæ nominatis? prior hanc appellationem obtinuit Socrates, qui non solùm hominum consensu;

verùm etiam Apollinis Oraculô sapientissimus est judicatus. Quid si memoravero Empedoclem? Democritum? Anaxagoram? Zenonem? cæterosq; arcanorum naturæ interpretes fœcundissimos? qui non apud Ethnicos solummodò; verùm etiam apud Sanctissimos Ecclesiæ Patres, existimationis pondere prævaluerunt. Hinc verò enascitur altera, nimirum libertatis ratio. Si enim veritas, quam intellectus humanus, tanquam suum peculiare bonum unicè appetit, non ab uno quopiam (fuerit licèt ille probatissimus, eruditissimus, & tanquam omnium scientiarum pretiosum gazophilacium) petenda est; sed per omnes venas, & quasi arrugiarum cuniculos, ut aurum investiganda; malè de Philosophia, pejus de invenienda veritate, meo quidem judiciô, merentur omnes illi, qui hanc Reginam veluti compedibûs vinctam, unius Aristotelis edictô mancipatam volunt. Sapientissimè certè pronunciavit Romanus morum Philosophus. *Non me cuiquam mancipavi. Multum magnorum Virorum judicio credo: aliquid & meo vendico.*

co. (h) Nequè sagacem minùs putate Ciceronem, ita monentem: *Ii, qui certis quibusdam destinatisq; sententiis quasi addicti & consecrati sunt; ea sunt necessitate constricti; ut etiam quæ non probare soleant, ea cogantur constantiæ causâ defendere.* (i) Atq; hic est deniq; meus veræ Philosophiæ Magister Tullius. Postquam enim Quæstiones Academicas, Tusculanas, cæterasq; Tullii lucubrationes Philosophicas evolvere & meditari cæpi; Academicam discendi methodum unicè adamavi. Neq; aliam aut inquirendæ veritati aptiorem, aut jucùndiorem utilioremq; philosophandi rationem haberi posse puto, præter eam, quæ de singulis Philosophorum omnium, partim Platonicæ, partim Stoicæ, partim Epicureæ, partim Pythagoricæ Sapientiæ opinionibus possit copiosè disserere. Solenniter itaq; ausim dicere. Frustra ingenuo veritatis amore se incendi gloriabitur, quisquis ita se uni Philosopho vel optimo vel sapientissimo mancipaverit; ut cæteros negligat, neq; aliorum opiniones excutiat, atq; illam deinde liberè complectatur, in qua uberi-

(*h*) Seneca Ep ft 45. (*i*) Tuscul: quæst: l. 2.

uberior veritatis splendor elucescat. Hæc ubi profiteor, accusator meus stomachatur, pallet, ringitur: desertorem, proditorem, eversorem Lycæi esse me plenis buccis decantat. Persuasione laberis Minervine. Peripateticus sum, sed qualem ipse Aristoteles sibi libens adoptaret, non servum sed liberum. An enim ille opiniones suas tanquam indubitatæ veritatis articulos haberi voluit? falsum est. Multum fidei, multum probabilitatis secum adfert dignitas & auctoritas tanti Magistri; neminem tamen cogit, ut contraria, tanquam absurda, tanquam ab omni similitudine veri absona reprehendas. An omne cognoscendorum fundum ita exhausit ille, ut posteris nihil ad inveniendum meliusq; excogitandum reliquerit? Procul id à fide est, si fides datur Ciceroni. *Nec vero Aristotelem deterruit à scribendo amplitudo Platonis: nec ipse Aristoteles, admirabili quadam scientiâ & copiâ, cæterorum studia restinxit.* Ait Tullius. (k) Non restinxit itaq; studia, neq; Herculeas meditandæ Philosophiæ metas posuit sui sequacibus Stagi-

(k) in Oratore.

Stagirita. Audi quid consequitur? Nimirum: vel nunquam, vel minimè Aristotelicos esse, qui serviliter, timidè & abjectè Aristotelici sunt. Ego Regem hunc Philosophorum soliô non deturbo; quinimo revereor, æstimo, & sequor in plurimis placitis, sed quæ verè placita sunt. Sequor ut liberè electum, non ut tyrannicè imperantem. Jam ergo Minervine puto ad satisfactionem, & cumulatiùs fortè, quàm expetebas, me tibi probavi. Sed obsecro te, atq; obtestor, ne alicujus simultatis, aut insinceri vel refrigescentis mei erga te amoris suspicionem inde concipias, & in animo foveas. Amicus est Minervinus Musônio: amicitiæ quidem nodô tenacissimô, & amabili ut maximè; sed ignosce quòd magis sit amica veritas.

Theophr. Paratum respondere & certare promptum esse te Minervine non nescio. Intentum habes me ad orationem tuam.

Re-

Respōdet Minervinus

IPsa compositæ, Musoni, oratiunculæ tuæ concinnitas indicat, quantus tibi amor sectandæ veritatis insit. Quantùm enim ex Rhetorum pompa captatis nitoribus fucata est; tantùm ab omnis Veri coloribus aliena. Nam *oratio, quæ veritati dat operam*, inquit Seneca, *incomta debet esse & simplex.* (l) Presso itaq; simplici, & adstricto sermone, prout Philosophum decet, vanitatem inductionis tuæ demonstrabo. Duo in Patrocinium causæ adduxisti: Veritatem & libertatem: tanquam gladium & pugionem. Si unum ferrum è manibus tuis extorsero; eâdem operâ spoliaberis & alterô: & utroquè confossus occides. Non negas utiquè veritatem unam esse, & plus uno verum esse non posse, ut ait Cicero. (m) Hallucinationes verò esse infinitas, affirmante Seneca: *Nullus terminus est falso: error immensus est.* (n) Veritatem naturâ recon-

(l) Epist: 40 (m) Ciceró de Oratore.
(n) L. de Paupertate.

reconditam, neq; sacrarium suum multis recludere, veteres cum Democrito Authores sunt, qui eam in occulto & profundo demersam esse voluerunt. Aliques tamen, sed paucissimos esse, quibus veritas lumen suum communicavit, in Cicerone lego dicente: *Philosophiam Dii paucis quibusdam veram dederunt.* Isti verò pauci, electi, & Divini Philosophi, tam clari, tam consentientes in Physicis sunt, tanquam solis radii in centro convexi vitri conclusi. Idem enim omnino de Universa sentiant oportet, & idem dicant, si veri sunt, licet fortè verbis non conveniant, ab his dissidentes, & in contrariam pugnam abeuntes philosophantium Sectatorum greges, sinè numero procul à vero delirantes, & nonnisi errorum Magistros esse, probat legitima consequentia. Contrariorum enim contraria est ratio: ut, si penes paucissimos sit veritas; penes reliquos nonnisi magnum perspicuum & perniciosum mendacium. Scire autem discupis illorum vanitatem & figmenta? hæc egregiè suis depinxit coloribus Aristoteles, asserens eos *à veritate depulsos, fabulosè, pueriliter, & quasi balbutiendo atq;* somni-

somniando philosophatos esse. (o) Eorum dogmata vocat *mera vaniloquia, nec rationabilia, nec intellectioni consentanea: argutationes insulsas, & fabulas circulatorum.* Vide, quàm hæc resuscitato ab inferis hodiernæ novæ Philosophiæ Epicureo Systemati perbellè quadrant? (p) Id verò ex rectissimo sedati animi judicio, non ex arrogantiæ supercilio protulisse magnum veritatis Philosophum, probat Cicero dicens: *Animus Sapientis nunquam turgescit, nunquam tumet.* (q) Quinimo idem sentit Cicero, idem loquitur, dum ejusdem furfuris philosophastros *balbutientes, & pueriliter garrientes* nuncupat. Epicurum inprimis: *Epicurus attulit rem commentitiam: Declinare dixit atomos, & ita effici complexiones, copulationes, adhæsiones atomorum inter se, ex quo efficeretur Mundus, Quæ tota res ficta pueriliter est.* (r) Sed nominatim & Pyrrhoneos, id est Scepticos seu mechanicos *jam diu disputationibus fractos extinctos & elisos*, atq; adeo confessæ falsitatis reos esse proclamat. (s) Jam dispiciamus, quinam illi in paucis excel-

(o) Metaph: c. 7. (p) Poster: 1. c. 19. (q Tuscul: l. 3 (r) De Finibus. (s) De Orat: l. 3.

excellentissimi fuerint, qui veritatis magisterium non ex vano professi sunt? Imprimis mittamus Socratem, qui licèt ex Sententia Tullii, *Philosophiæ Parens jure dici potest*; licèt Apollinis, id est, magni Cacodæmonis, mendaciorum omnium mendacissimi Architecti Oraculô, Sapientissimus sit appellatus; quid tamen ab illo hodie disces? qui, ut scribit Tullius, literam nullam reliquit. Sed successione prosperatus est: nactus discipulum Platonem, Plato Aristotelem, Aristoteles Theophrastum. Hic veræ Philosophiæ sementem invenies, monstrante viam Tullio, qui ait: *Platonis auctoritate, una, & consentiens, duobus vocabulis Philosophiæ forma instituta est, Academicorum & Peripateticorum.* (t) Procliviore autem in Lycæum animi sensu, disertè dicit. *Aristoteles & Theophrastus, cum vetere Academia, re congruentes, genere docendi paulum differunt.* (u) Ad duos itaq; probabilis Philosophiæ dignitas devoluta est: Platonem & Aristotelem. Sed quia in ratione docendi, multiplex inter illos discrimen est; & duos Soles non capit mundus:

(t) 1mo Academ: (u) 1mo de Legibus.

dus: nullusq; militiam sequens, duobus simul Ducibus Sacramento teneri potest; necesse est unum esse, cui te devoveas. Et quemadmodum in Republica, plures licèt adsint competitores, unus tamen legitur, qui supremam capiat Armorum Dictaturam; ita in Sapientiæ Areopago, unus Aristoteles, cunctorum suffragiis Dictator dictus, Seculorum omnium, omnium Nationum consensione, &, quod maximum est, Lateranensis Concilii Sententiæ Majestate, verioris saniorisq; Philosophiæ Dux & Princeps est renunciatus: Idem ille, qui voce Tullii, *Vir penè Divino præditus ingenio, qui acie mentis, omnium rerum vim naturasq; viderat.* (x)

Pessimè igitur indagandæ veritati consulis, qui per omnes Philosophorum Sectas promiscuè vagari, hanc demum sapientis, hanc veri Philosophi notam esse dicis. Ignoras fortè, quid Tullius pronunciavit. *Nihil tam absurdè dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum.* (y) Tu ergo per tot errorum voragines, per Syrtes & Charybdes, per o-

mnia

(x) de Divinat: & secundo de Orat:
(y) de Divinat:

mnia quæcunq; cogitari possunt, & quæ omnium hominum mentes abominantur absurda, ad pellucidæ veritatis fontem aliquando enatabis? Cùm errabundo Ulysse infinitis pelagi jactationibus te objicies, neq; continentem, ubi anchoram jacias, invenies. Scitè admodum Seneca, *Qui, quò destinavit, pervenire vult; unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est.* (z) Nec minus prudenter monet Justus Lipsius. *Qui nescit viam ad mare, amnem sibi comitem quærat:* non per invia, per abrupta, per confragosa feratur. Ita dico: veri Philosophi vera Sapientia est, uni lectissimo fidelem esse. Neq; in censu Philosophorum nominari, sed vix philologi Sophistæ nomine censeri dignum, qui circumvagus per omnes, unum certum, cujus vestigia spectet, Magistrum nullum recipit. Cerebrosi capitis ægritudo est, ab inventa illustri, regiâ & stratâ viâ, sponte refugere; per salebras verò, per saltus & dumeta, per obsitos calles & ambages, pedem in curriculum conjicere: *non ire istud, sed errare est.*

 Habes

(z) Epist: 45.

Habes jam confossam & elisam, quidlibet in Physicis opinandi licentiam. Ad enervandas rationes tuas, quanquam, meô judiciô prorsus enerves ac imbecilles sunt, descendo. Dicis Academicam discendi methodum tibi præ omnibus arrisisse? Audi quid de recentioribus Academicis Cicero? Distinguit enim hos & separat à vetere Academia, cum qua Peripateticos re congruentes, nominibus solùm differre ait. Quid, inquam, de illis enunciat? *Mos Academicis fuit occultandi Sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque vixisset, aperiendi.* (a) Talisne tibi tractandæ tradendæq; Philosophiæ modus perplacet? non puto. Nisi fortè in celandis veris animi sensis, quid de Universo apud te concluseris? mutum & arcanum te esse docuit Parisiensis Baccalaureus *de Prade*, qui malè cautus, nimiùmq; sincerus, dum suam Epicureæ Philosophiæ Sapientiam, editîs in publicum Thesibûs divulgat; infelix, & se, & Socios, & totam scholam perdidit. Ergo alia fortè commentandi ratio te Academicis addixit,

(a) de Divin: l. 2.

xit, quam idem Tullius improbando, sic memorat. *Academici quasi desperata cognitione Veri, nihil affirmant.* (b) *Illorum Oratio nihil ipsa judicat, sed habetur in omnes partes.* (c) Itane verò? cur igitur studium veritatis tantopere jactas, si semper quasi in medio suspensus, circa contradictoria hærebis; & vel neutri vel utrique æqualiter adhærebis? Vanæ Philologiæ ridenda ineptitudo est, quæ in utramq; contradictionis partem æquè expedita, jam album esse album affirmare, jam negare parata est. Et hâc Academicæ mobilitatis fluxa perversitate, supra omnes antecellunt Epicurei Systematis propugnatores, quibus non minùs rationabile, non minùs oculis exploratum est: bruta animantia nullam prorsus habere vitam; atq; versô in contrarium stylo, animantia verè & omnino vivere, & quidem vitâ spirituali, habereq; animam, quæ naturâ immortalis, nec homini cedat, nec Angelo. Nihil igitur te ad percipiendam veritatem juvat Academica dissertandi ratio, nisi ut disertissimus evadas Logicus sinè conclusione. At certè addu-

(b) 1mo Academ. (c) 3tio de Orat.

adducta vel Senecæ vel Ciceronis auctoritas persvasioni tuæ adstipulatur vehementer: dicunt enim: *Non me cuiquam mancipavi.* Et *certis Sententiis addicti, etiam quæ non probare solent, coguntur constantiæ causâ defendere.* Si nihil aliud tibi responderem, nisi quod ibidem subnectit Cicero, jam jugulatus es. Subjicit enim: *Nos, qui sequimur probabilia, & refellere sine pertinacia; & refelli sine iracundia parati sumus.* (d) Quid tu? an nos vel refellere cunctantes ac imperitos; vel refelli timidos ac imparatos esse putas in Sententiis, quas nonnisi ut probabiliores, verisimiliores, ac recto judicio magis cōsentaneas agnitas propugnamus? Nequaquam ergo vel petunt nos, vel premunt, aut perimunt hæc effata. Siquidem non præjudicata Auctoritas, non Pythagoræum illud: *Ipse dixit,* hanc subjectionem extorsit, ut in systema Peripateticum certatim conveniremus, sed ingens studium & amor agnitæ veritatis imperavit. Post diuturnam enim scrutationem, post exquisitissimam argumentorum trutinam; tam nos, quam longè ante nos, omnes omni-

(d) Tuscul. l. 2.

omnium mortalium sapientissimi, & non præfracti aut leviusculi genii homines, tandem bene libratæ, expensæ, ac deprehensæ veritati, liberè vinctas manus dederunt. Cave mancipatos dixeris! Svavissima enim Intellectûs, qui solâ Veri conlectatione unicè delectatur, voluptas & jucunditas est: quam non habent nec assequentur, perditè Epicureis deliramentis, velut Promethei saxo affixi Philosophi. Penes Peripateticos itaq; parùm abest, ne dicam solos, integra manet tam veritatis, quàm libertatis possessio. In quo enim tu optime Musoni, Philosophicam libertatem collocas? fortè ut quodam quasi spiritu contradictionis lymphatus, aut vel ingenii vel eruditionis ostentandæ ambitione correptus, fanda & infanda liberè effutias? Ita quidem Vos libertini, sed pessimè. Nemo prudens liberam philosophandi rationem in hoc reponit. Sed in hoc sita est: ut matura discussione, quæ improbabilia, atq; à legibus verisimilitudinis remota censueris; istis intellectum temerè implicare ne ausis. Liberè verò amplecti, tueri, ac defendere quid quid pro gravissimis diju-

 dicati-

dicationum momentis, atq; probatissimorum Auctorum consensione, propius vero consonum judicaveris. Quarè, non Aristotelicos, sed Democriti atq; Epicuri asseclas, eorumq; Scholam, Tulliana ferit censura: qui à nugivendulis circumventoribus seducti, non docti, quodam cæco impetu, quasi *uno torrente coacti, quò rapiuntur, eunt.* (e) Solaq; venditandæ novitatis libidine concitati, & pudore inconstantiæ, invitâ Minervâ, reclamantibûs Divinîs eloquîis, obmurmurante sanioris judicii conscientiâ, coguntur miserandum in modum, absurdissima quæq; defensitare ac devorare: ut jure-merito ingeminare cū Tullio mihi liceat. *Nihil tam absurdè dici potest, quod non ab istis dicatur.* Quid enim? Potestne à lumine rectæ rationis magis absona cogitari doctrina? quàm, cuncta animantia esse meras corpusculorum texturas, inanimales & inanimas? esse sine omni vero sensu? sine omni affectione? omnis omnino vitæ & vitalium actionum expertes? Quid incredibile? Musoni, quid inconvenientius? quid à veritate quid sanæ

(e) Lucanus.

sanæ menti abhorrens? quid non vacillanti judicio? quid omni deniq; experientiæ repugnans est, si hoc non est? Quære diverticula, age Strophas, in omnes facies, huc & illuc versa, torque sincipût tuum. Quid efficies? Tibi quidem soli sapiens eris: cæterùm solidi sensûs & Intelligentiæ, quibus non ficulnea mens est, Virorum, atq; non semidoctorum, non personatorum, sed re ipsa verè & profundè sapientûm hominum, nulli. Quodsi, prout falsitas, polypi adinstar, mutabilis est, neq; sibi unquam constat; retractatâ hâc sententiâ, novum ingenium indues, restituesq; quam iniquè abstulisti, animam Animantibus, eamq; cum fœnore perfectiorem, utpote purè spiritualem? Jo triumphe! Dexterrimè, strenuè transsultâsti ex mulo in Asinum, ex fumo in flammam, ex Scylla in Charybdim. Unum enim vitando laqueum pluribus & majoribus plagis te induisti, ex quibus nullæ argutiæ te eripient, nullæ artes explicabunt. Hanc orationis tuæ reprehensionem, quæso ne odio habeas, nec vitio mihi vertas Musoni. Non jejuna quidem, nec manca, nec imbellis

 est;

est; sed fortè non tantopere, ut sperabas, blanda. Quam ut æquô animo suscipias; postulat jus non coloratæ amicitiæ, quâ te complector. Dicit enim Tullius: *Amicitia veritate colitur.* Et. *Nulla major in amicitiis pestis, quàm assentatio, & blanditia.* (*f*)

Theophrastus.

NEuter Vestrûm cáusam lucratus est. Tu quidem Musoni, quî potes opinionis tuæ fautorem opinari Theophrastum? qui post Aristotelem, Peripateticorum quasi alter Parens jure dici potest. Sed, missîs jocîs; nihil solidum, nihil quod sensati hominis mentem inclinare valeat, pro tua parte attulisti. Tu verò Minervine multa quidem egregiè; tamen & in Musonium injuriosa nonnulla effudisti, & principalissimam, quæ in Ecclesia apud omnes Orthodoxos Philosophos ac Theologos, Aristoteli tantam auctoritatem conciliavit, rationem nec attigisti quidem. Vitabo tamen invidiam,

(*f*) pro P. Quintio. Et in Lælio.

am, ita ut neq; meam sententiam proditam; neq; rem injudicatam relinquam. Bonâ enim fortunâ in manus mihi incidit quidam doctissimus, eruditissimus, sapientissimus auctor qui vestra compescet litigia. *Minerv:* Quis ille? *Theophr:* Quid putatis? *Minerv:* Forte celebris Londinensis Geometra Nevtonus. Volfius, aut ergò vel Leybnicius. *Theophr:* Hos quidem sibi, suisq; novæ Philosophiæ novos Deos sequendos assignant Epicurei Systematis Assertores: posthabitîs omnibus Sapientissimis, Catholicîs Doctoribûs, & Magistrîs: atq; etiam Divo Thoma infrà abjecto. Id verò quàm rectè? quàm consultè? quàm religiosè? quàm sanctè? quàm ad propugnandam Fidei doctrinam utiliter? viderint ipsi. *Muson:* Carthesius certè Catholicus Author est. *Theophr:* Novi ex fama; sed nullam illius habui pervolutandi copiā. *Minerv:* Ille est, qui Epicuri, Democriti, Leucippi, flagitia (ita enim appellat Cicero.) *Abuteris ad omnia atomorum regno & licentiâ. Quodcunq; in solem venit, hinc effingis: Ista sunt flagitia Democri-*

mocriti & Leucippi. (*g*) Primus ex suâ sentina extraxit, atq; exoletam corpusculorum Mephitim, orbi studuit propinare. *Theophr:* Quid tandem factum? *Minerv:* Æmulorum insectatione excedere coactus ex Galliis, ad Batavos se contulit: neq; ibi satis benè acceptus, tandem ad ultimum Septemtrionem, in Gothiam, fortè vi tempestatum ejectus, Holmiæ morti occurrit. *Theophr:* Gratanter suscipio oblatam mihi notitiæ copiam. Hunc enim, præ omnibus Atomorum Molitoribus, ceu Parentem suspiciunt libertini Philosophi. *Muson:* Sed nos sustentatione jam diu tenemur. *Theophr:* Non ultra. Nostis equidem, quem in libellis meis: tum in *Umbra Eloquentiæ* ad calcem; tùm in *Studiorum Brevitate Impugnata, Dissert: 4. § 2do,* laudavi Eminentissimum Cardinalem Sfortiam Pallavicinum. Hunc vobis causæ cognitorem statuo: qui secundùm Eminentissimam Sapientiam, quis justius induit arma? pro æquiore parte pronuntiabit. Vos intentissimas aures accommodate. Itaq; libro *Vindicationum* cap. 24. sic ille.

Quan-

(*g*) De Nat: Deorum.

Quantùm spectat ad libertatem illam philosophandi, in quam vindicare contendunt ingenia, correctores nostri; duo attentè sunt reputanda.

Primum, Cum Philosophiæ principiis multa connecti, ex quibus fides ac Religio constat: ita, ut commutatâ in quibusdam principiis Philosophiâ, Religionem quoq; mutari, seu potiùs everti necesse sit. Alterum, adeò homines esse ingenii sui amatores, ut citiùs multi falsum Deum, id est Interpretes Dei in docendo, quàm se deceptos in opinando arbitrari velint. Cùm enim, ut Philosophus notat, id verè sit homo, quod est præstantissimum in homine, scilicet mens; nihil tam homini ingratum atq; arduum, quàm suæ mentis ac rationis infirmitatem agnoscere: per hoc enim, non tam suam, quàm se infirmum & mancum confitetur. Ita videmus, cum cæteris in artibus, quæ per exteriora mēbra perficiuntur, multi se ineptos fatentur; in iis tamen, quæ mentis integritate ac prudentiâ continentur, quemlibet se cunctis præferre: adeoq; bajulorum nemo est, quin sibi, quomodo tergum sarcinæ, sic brachium Sceptro idoneum credat.

Ex

Ex his duobus, ea cōsecutio emergit: nō planè liberas habenas ingeniis laxandas esse in tradenda Philosophia. Plures enim initio ducuntur voluptate quadam & gloriâ novitatis: illudq; verum putant, quod verum vellent, hoc est quod natum in suo. Id autem est re ipsa plerumq; falsum; quando in qualibet re proposita, verum ac rectum non plus uno; falsa atq; obliqua planè infinita. Illud autem unum invenire, excelsi ingenii est ac pænè Divini, sicut Divinæ artis esset, eam omnino lineam deprehendere inter duo puncta, quæ recta sit, & non tantùm videatur. Cùm ergo hæc novandi licentia si cōcedatur; infinitis erroribûs circa principia ipsa sciendi Lyceum aspergeret; proinde multa essentquæ fidei nostræ plurimùm incommodarent; nihil enim frequētiùs, quàm ut error errorem gignat, præsertim si error sit circa principia; Is enim, fluviorum ritu, quò à fonte longiùs labitur, eò latiùs amplificatur: Neq; tamen tunc facilis correctioni locus: ubi enim semel quis gloriam illam & delectationem ex inventa rei novitate suxit, asperrimum est illam revomere, & id, quo tan-

tanquam argento te divitem ostentabas, tanquam vile plumbum abjicere; ideo à suscepta semel sententia recedere, per se quidem difficile; tum verò in propriis repertis difficillimum. Tolerabilius quippe aliena, quam nostra deserimus.

Ne igitur nova hæc in dies figmentorum monstra subnascantur, quæ Religionis Aras invadant, & Populos super ipsa Divinitate inter se digladiantes committant; nihil salubrius, quàm aliqua statuere philosophandi principia, tanquam circumdatos fines concertantium Magistrorum Arenæ.

Minerv: Sanctissimè, Divinè, loquitur Purpuratus Doctor. Ex hac enim libertine pullulascentium Epicureorum Schola emicuerunt recentissimè damnata Parisini Baccalaurei *de Prade* errorum monstra. *Theophr:* Intempestivi semper impetus te incessunt. Digitum ori, Minervine, digitum ori! Aurem priùs benè expeditam habere juvat; post linguam. Progreditur Eminentissimus Scriptor.

In his verò principiis duo jungantur necesse est. Præjudicium Sapientûm, & Innocentiæ longa probatio. Sine prima enim

enim difficillimum; sinè secundo intutum esset, illis gymnasia mancipare. Debent ergo hæc principia philosophis opportunè præscribenda, & faventes jam invenire literatorum voces; & tanquam usitata diu fercula, omnem purgâsse veneni suspicionem.

Porro hæc duo in Aristotelis doctrina summè conveniunt. Hunc enim philosophorum maximum extitisse, nemo negaverit, nisi qui vel philosophiam nesciat, vel Aristotelem. Nempe, licèt Platoni fortasse non minor laus in Ethicis debeatur, quippe plurium initiorum in rebus moralibus Inventori; tamen in præsentia non quærimus uter ingeniô major? Sed utrius scripta meliora? super quo vix ambigendi locus. Cæterùm Aristoteles Vir ille est, qui ratiocinandi artem primus, non solùm adinvenit, quod rarissimum; sed absolvit, quod singulare. Qui Rhetoricam talem scripsit, quæ omnium post se Oratorum linguas instruere potuerit, nullius laudibus æquari. Pòëticam licèt in adversariis adumbraverit veriùs quàm perfectam ediderit, tamen, sicut ait Castelvetrius, quotquot post illum

lum de hac arte tractatus operosissimos elaborârint, minus dixêre, quàm in illis impolitis indigestisq; Aristotelis notis habeatur. In Ethicis regnat sine competitore. In Politicis ita scripsit, ut certum sit neminem esse qui rationem Societatis humanæ, qui dominationis naturam, species, proprietates, vitia, qui deniq; Civilem artem quantacunq; est, veriùs, pleniùs, integriùs enucleaverit. Metaphysicam nemo ante ipsum ultra limen ingressus: nemo post ipsum nisi per ejus vestigia introgressus. Animantium proprietates reliqui tanquam hospites è longinquo descripserunt; Ipse tanquam intimus naturæ consiliarius, quam vim haberent? ad finem architectæ Sapientissimæ retexit. In his omnibus disciplinis Aristoteles pacificum ferme obtinet principatum. Una superest Physica, in qua validiùs disceptatur. Et tamen post exsuscitatam Caroli Magni, aliorumq; Principum curâ & liberalitate è somno Philosophiam, gymnasia omnia, etsi maximè dissidentia inter se, sub unum Aristotelis vexillum sponte convenêre. Veterum Philosophorum Sectæ, simul cum libris

bris interierant, magnum contemnentis famæ argumentum. Interierant, inquam, nisi quantum in Lucretii carminibus vivunt, sed ad dedecus magis, quàm ad gloriam. Si enim Lucretium non legeremus; suspiciosum esset, ne fortè illi probabilius aliquid reperissent ignotum nobis. Nunc verò quàm inutilia, quàm vilia sint quæ docebant, Lucretius testis est eò contra ipsos validior, quò amicior. E contrario Aristotelis physicam & Græcorum maximi commentariis coluerunt; & porro Arabes ab omni nationis studio summoti, & deinde Latini, atq; imprimis Divus Thomas, ingenium illud Aristotele inferius non judicandum, nisi posterius, quod multa didicit ab Aristotele. Deinceps verò, cùm tot sectæ Scholasticorum extiterint: Thomistarum, Scotistarum, Nominalium, aliorumq; ; in hoc tamen divortio, universæ, tanquam dilapsa ex Appennino flumina, eandem originem ac fontis unitatem in Aristotelis doctrina sunt professæ: Neq; hanc Aristoteli auctoritatem conciliavit aut Principum favor, aut Discipulorum potentia, aut ætas rudior, aut primorum philosophorum obscuritas. Ejus enim libri reperti sunt, regnantibûs latè Romanis, servientibûs Græcis: Apud utrosq; autem & Stoici, & Epicuræi & variæ Academicorum familiæ, nihil tum Peripateticis decedebant. Neq; verò aut cùm primùm Aristoteles scripsit, aut cùm ejus scripta diu intermortua revixêre, ullā nacta sunt vel sublimium ingeniorum penuriā, vel oblivionem aut despicientiam priorum Sapientûm. Deniq; neq; tum, cùm Sapientiæ studia per Europam refloruêre, Platonis, ac Platonicorum fama aut modica erat, aut vilis. Quid ergo, nisi Domina illa blandissima humani ingenii Veritas, tam copiosam Aristoteli subditorum multitudinem conciliavit?

Musonius. Liceat mihi aliquid interfari. Siquidem Aristotelis scripta intermortua fuêre, meritò de illorum germana lectione ambigitur à sapientissimis: ut nihil dicam, quòd in illis aliqua incerta, plurima obscura, nonnulla etiam evidenter falsa comperta sint. *Theophr:* Sermonis cursum obturbare, Musoni, id quod immodestis rixatoribus familiare est, gravitati philosophicæ non convenit.

Dabitur tibi campus amplissimus interponendarum oppositionum, modò patiens sis, animumq; ad ea, quæ prosequenda veniunt, tacitum intendas.

Ducimur jam (inquit Pallavicinus) ad alteram conditionem, quam in Auctore Religiosis Præceptoribus adoptando necessariam dixi, hoc est, ad salubritatem doctrinæ. Hanc verò in Aristotele & maximam, & tutissimam esse ajo.

Maxima quidem est: nam licèt Philosophi pænè omnes Numen aliquod supra corporatas hasce res & aspectabiles agnoverint; tamen quod cæteri tanquam divinantes, asseverantiùs quàm validiùs posuerunt, unus Aristoteles cogenti ratione demonstravit: illudq; Numen infectum esse, immortale, non à corporea tantùm, sed à qualibet concretione purum, intelligentiæ ac voluntatis compos, immotumq;, rerum omnium motorem & causam, nullius indigum, per se beatum. Quæ omnia, simul Idololatras jugulant, simul Atheos, cuncta fortunæ ac temeritati, vel surdo cuiquam cæcoq; Fato tribuentes. In reliquis, quæ super Dei libertate, ac Providentia, hærens potiùs,

tiùs & varius, quàm constanter falsus disputavit, quando super illis aliter in Metaphisicis, aliter in Ethicis locutus est; Christianæ fidei non magìs officit, quàm si hæc omnia disertè concessisset. Intima enim & propria Religionis Christianæ, adeo recondita sunt, ut omnem naturæ tum potestatem, tum cognitionem superent: & quæ non solùm re ipsa esse, sed esse posse, nativa hominis ratio non cernit, nisi ipsius Dei Magisteriô docta. Quæ certè Aristotelem latuissent, quamvìs & liberum, & providum Numen agnovisset. Tria tamen sunt commoda illa quæ manant Christianæ Religioni, ex Aristotelis effatis.

Primum est, Idolorum proscriptio, quâ omnes tum veteres, tum hodiernæ superstitiones Ethnicorum opprimuntur.

Alterum: notitia unius Numinis Optimi & Sapientissimi, atque ab omni vitio submoti. Quô fit, ut si ex miraculis, aliisq; argumentis persvadeamus, authoramentum nostræ fidei esse testificationem alicujus Numinis Præpotentis, & naturâ Majoris, extemplò ad Aristotelis doctrinam efficiatur, unum Deum esse, patratorem

rem ejusmodi effectorum; in quem, uti perfectissimum, nec error, nec mendacium cadere potest: adeoq; constet, vera esse quæcunq; credimus, falsisq; argumentis inclinatum fuisse Aristotelem in adversas opiniones.

Tertium est, quòd cùm Philosophorum nemo de virtutibus ac vitiis, tam verè atq; exquisitè quàm Aristoteles disputaverit, ex hoc pariter nostra Religio, supra Sectas omnes credibilis, & approbanda evincitur; hæc enim una, & à vitiis omnibus pura, & virtutum omnium patrona, nihil præscribit, quod ad Aristotelis, hoc est ad germanæ philosophiæ regulam, cum recta ratione non apprimè conveniat.

Hæc sunt, quibus ex Aristotelis armamentario instruimur ad alias Sectas profligandas. In iis verò, super quibus de Divinitate inter Christianos, & Aristotelem disconvenit, ab omnibus æquè Sectis nunc dominantibus, ejus opinio repudiatur. Parum verò vel nihil nocet adversarius, si solitarius. Ille hostis infensissimus, qui vexillum extollit numerosa fœderatorum cohorte stipatum, quiq; vene-

venenorum ritu, multa undecunq; ad se trahit, quæ simul conspirant in perniciem. Et hujus modi sunt novæ illæ opiniones, quas multi vel procreare instituunt; vel jam diu è gymnasiis exturbatas, tanquàm ab injusto exilio revocare.

Ex concursu atomorum, quæ nec gigni, nec perire queant, universa conficiunt, novi quidam Philosophi, Democriti physicam, Peripatheticæ anteferentes. Quid tum? Novitas illa phantasiæ nostræ infirmitati blandita, quæ phantasia supra corporum dimensiones motionesq; nihil cognoscit, magnam illexit Sectatorum turbam, ex iis maximè, qui Metaphysicæ sacris nihil initiati, quod suæ intelligentiæ vel arduum, vel ignotum experiebantur, idem inane, ac falsum desiderabant. Sed hujus doctrinæ labes vel clausis oculis deprehendi potuit; quippe turbans quæ super Eucharistiæ Mysteriis ab Ecclesia docemur nec non parum accommodata iis, quæ de humanæ animæ natura Lateranense Concilium pronunciavit.

Porro in Aristotelis doctrina, utcunq; quædam prava sint, id percommo-

dè accidit, quòd cæcos scopulos, atq; occulta toxica non timeamus. Quidquid vitandum est, expositum est. Ideo illum sinè suspicione, quamvis non sinè exceptione Auctorem sequimur. Quemadmodùm non ideo semita intuta est, quod foveas habeat, quas nisi declinaveris, ruas: modò non magis pedibus, quàm oculis pateant, & aperto tanquam ore, viatorem declinationis admoneant. Id periculosum, quod inexpertum: quippe in qualibet sui parte suspectum. Nihil ergo tutiùs, quò Philosophiam, Theologiæ semper fidam & consentaneam, Auditoribus nostris inspergamus, quàm religiosè Aristotelem sequi, nisi ubi jam constat eum cum Christiana fide non convenire.

Deniq; adeo extra reprehensionem sumus in Aristotelis adlectione, ut hoc ipsum numeretur inter summa beneficia, quæ Magno Aquinati debet Ecclesia, quòd Christianam Theologiam cum Peripathetica Philosophia jam tùm dominante, tam bellè sociaverit, ut Aristotelem Christo militantem jam, non adversarium habeamus. Quo factum est, ut

ut impius fidei desertorum vexillifer Lutherus, tam immanî odiô in Aristotelem insaniêrit; ut ejus dialecticam *pellicem inferorum*, ipsum Aristotelem, inter cætera convicia, *histrionem, qui Græcâ larvâ Ecclesiam lusit*, appellare non dubitaverit. Quodnam luculentius testimonium prævalidi ensis, quàm fremitus confossi hostis?

Theophr: Hactenus non aliquis umbratilis Philosophus, sed Romanæ Cathedræ, Theologorum Lumen, priùs omnium Scientiarum, mox etiam in Supremo Ecclesiæ Senatu, Purpuratus Princeps Pallavicinus.

Minerv: Ita est. Non umbraticus neq; ex gurgustio Doctor. Non ex gurgustio prout quidam homo exoticus & beneficiorum in se abs Polona Gente congestorum immemor, iisdemq; linguâ malecautâ crudeliter ingratus, universa Poloniæ lycæa, Regni gloriæ perenne monumentum, magno Thrasonicæ naris suæ indiciô, gurgustia vocitavit.

Theophr: Reflecte animum Minervine: collige te: quid loquaris, vide.

Minerv: Præsens mihi sum non desipio

Sed linguæ impotentis insolentiam patiens tolerare non possum. Musonio quoq; haud alius sensus est.

Muson: Non possum non improbare & non odisse temeritatem Scriptoris, ejusq; dictorum pædorē non graviter ferre: Hæc compellandi procacitas certè crimen redolet capitalissimum. Crimen, inquam, offensæ Polonæ Nationis, & læsæ Reipublicæ Majestatis. Neq; enim Respublica, dum Academias, & frequentissima omnium Scientiarum Collegia, per omnes Regni Provincias fundata, approbare, privilegiîs communire, prærogativîs amplissimis ornare studuit, hoc egisse visa est, ut nonnisi quædam quasi gurgustia tantîs beneficiis excitare, fovere, augere, ac extollere voluerit. Quarè, dico & judico: Compellationem istam abs Authore beneficiis Polonis saturo, virulentiùs scriptis suis inspersam, non ingrati modo animi sed & emedullati cerebri partum esse, aut malecautè, aut impudenter profusum.

Theophr: Compescite quæso, compescite tam indecoros contumeliarum morsus, qui aures meas nimiò plùs consauci-

fauciaverunt. Obtrectator, dum alterius integritatem proscindit, lacerat suam. Aliquid vir doctissimus peccaverit; non abnuo: sivè impotentis animi sublatione in devium abductus; sive talibus agnato inconsiderantiæ lapsus vitiô. Quid tum? condonandus error est alienigenæ. Ingenio patrii cæli præfervidus ac præferox est: Nativæ Polonorum cùm urbanitatis, tum in penetrandis animis limatæ Sagacitatis, politæ in reputando prudentiæ, ac doctæ dissimulationis indocilis. Si alibi gentium, talis Minervæ partum edidisset, illico fortè juberetur celerem per Adriam retrò proram vertere. Sed Polonis excelsa quædam animi magnitudo est, quæ satìs habet insulsitatem peregrini tumoris, contemptibûs ferire. Neq; puto his, quos magni inflant spiritus, aliam acerbiorem plagam irrogari posse, quàm sit despicientia & contemptio. Hanc sibi, petulante epistola apud Regni Ordines, Vir bonus, sed parum consultus (miseret me) gratuitò comparavit. Solenne quippe est, istiusmodi Sapientes, qui sui nominis, patriæ, doctrinæ, existimationis, excellentiæ,

tiæ, gloriosi buccinatores sunt; qui de se omnia magna jactanter; de aliis ignominiosa & despicatissima quæq; contemptim, maledicè, abjectè, sentiunt & loquuntur; passim in omnium oculis despicatui, & deridiculo esse: atq; per ora populi fabulam decantari. Habet ergò superbia suum, à quo vapulet tyrannum. Grave supplicium est: fastidire & fastidiri: despici negligiq; odisse, ac negligi, despici, & odio esse. Cæterùm maledicentiæ talione respondere, adeo semper res inconcinna, indigna, sordida visa est, quemadmodùm si (quod horret Martialis) *pellem radere quis velit caninam.* Nobilissimum vindictæ genus contra effrenatam dicacitatem, ut frenô depugnes temperationis, ac modestiæ. Hac arte ubiq; triumphabis. Multa in hanc rem afferre possem, si per tẽpus liceret. Imprimìs verò, quem præ oculis habemus Pallavicinum. In cujus Apologeticis vindicationibus quanta Orationis dignitas! quàm librati sensus! quàm invictum Sententiarum robur elucescit! Sed & quanta sublimitatis ingenii, cum summissione ac moderatione consensio!

quanta

quanta mentis æquabilitas? quæ indignationum motibus quatitur nullîs. Ut ille ab omni intemperante verbo sibi temperat? ut à vituperationibus alienus est? ut ab amaris dicteriis in totum se abstinet? Nullis aculeis, sed acumine dialectico potentissimus, non mucronibus evibrandis satagit, sed clypeo. Perarguta Intelligentiæ vî, atq; solidis consecutionum nervîs grassatur dulciter in animos legentium, non plaustrîs conviciorum in hostem. Hæc vosmet ipsi dum hodie plenîs auribûs hausistis, agnovistis certè. Sed labitur dies. Antequam tamen digrediamur, non patiar, quin unum saltem memoravero ex Ordine laudatissimô Regulæ Piarum Scholarum, *Edvardum Corsini.* Istius ingenium perspicax, subtile, & acre: Sed pacatum & serenum: Oratio non abstrusa, non confragosa, non tmultuaria, non inflata, non turbida, non abrupta; sed planissimè, æquabiliter, copiosè, ac placidè fluens: verba non ex vetustate, sed ex usu petita: non inobscurandæ, sed illuminandæ scriptioni nata: universa deniq; lucubrationum ejus, si labores felicis ingenii in solidiore fur-

re fur-

re fundo posuisset, dignissima opera, placiditatem, modestiam, perspicuitatem professa, etiamsi vel ex claritudine Domûs, vel aliunde non constaret; verè tamen Natione Italum esse probant. Is itaq; Logicæ Cap: 4. sic meam affirmationem corroborat: *Impudentis animi vitium est, quo Auditorum odium in adversarios concitamus, ut illorum Sententiam velut ridiculam contemnere, ac indecorè tractare possimus. Modestior, & ab omni dicacitatis crimine remota esse debet nostra oratio. Nam aliorum opiniones iniquè injuriosèq; traducere, nonnisi insipientibus, malignis, scurrilibus hominibus licet.* (*b*) Hæc Doctrina, & illum, in quem durius quàm decebat invecti estis, castigatiorem deinceps in calamo reddet, & vos linguâ sedatiores. Liceat igitur per nos, Minervine, cuilibet ambitioso scriptori, liceat impunè, mordaci, scurrili, maledico, latratori, maligno atq; adeo insipienti esse: liceat! Tunè invidebis? an fortè & æmulari insipientiam volueris? absit! Nec oderis, nec commoveare. Sed in sinu,

(*b*) Eduardus Corsini Log: Cap. 4 Pag: 288. & 290.

sinu, quantùm placet, ride. Tibi verò talem esse non licere; honori, magnanimitati, dignitati, gloriæ, non injuriæ tibi ducito.

Muson: Jam sol prope occidentem est. *Minerv:* Hora citat ut revertamur. *Theophr:* Bene est: nec ego vos ultra morari volo. Disputationem in proximum Congressum reservate, nunc abite. *Minerv:* Vale igitur & salvus sis diutissimè. *Theophr:* Et vos salvete, vegeti vivite, & in hoc triduum Valete.

DISCUS-



DISCUSSIO II.

Quid & quantum conferat Religioni propugnandæ, Aristotelica; quid & quantum officit & nocet Neo-Epicurea Philosophia?



ILluxit tandem Jovis Feria, vacationi hortensi integrè data. Rector enim Collegii, quâ erat insigni erga omnes Personas charitate affectus, omnibus rusticationem

tionem in Suburbanum indixit. Ubi Theologiæ Doctores, cæterarumq; facultatum Professores, Classium Magistri, & Scholastici Theologi, hospitali prandio & Cænâ commodiùs habiti, salubriore Cælo, honestoq; otiô recreati, alacriores valentioresq; redibant ad labores scholæ exantlandos. Id verò cùm valetudini meæ, tum solitudini levandæ maximè conducebat, quòd, non raro ejusmodi Synodia, sed ferè quoties ab opere literario respirare, feriariq; indultum est, per Majum & Junium frequentata, dulcissimæ cum sociis conversationis mihi copiam multiplicarent.

Hac tamen die interdixerat mihi Empiricus meus, ut antemeridianis horîs ne pedem cubiculô efferrem. Monitis dum obsequens sum; ecce verò par illud Philosophorum advolat. Manè admodùm arripuerunt iter, ut alios anteverterent, mihiq; primi salutem impertirent. Aditum in Atriolo præstolantes, ut sensi, intrò invitatos his compellavi. Repulsam vobis fortè incutit inconditum istud perexiguum & perincommodum conclave, sive, ut ad voluptatē recentioris osten-

tarii loquamur, gurgustium, in quod meus me Chiron compegit. At mihi credite, vastius non tranquilliùs in enormi amplitudine diem agunt, vel ii, qui aureas Domos incolunt. Ego ex hac Cellula, in cælum usq; dum lubet, liberum animum expedio: Ad contemplanda scilicet illius supernæ Civitatis Palatia: ibi habito, ibi exspatior, ibi me dilato. Ad hæc Minervinus. Habitationis angustiæ minimè nos offendunt; sed veremur, ne aliqua incommodatione tuæ quieti officiamus. Quinimo, inquam, hoc mihi negotiorum jucundissimum est, id otii vobiscum tempus transigere. Sed quæso assidete: Adhuc enim nedum pedibus, sed toto corpore languentem, puto non libenter me cerneretis stantem mori.

Facta Sessione, ingreditur sermonem Theophrastus. Nudius tertius mirificè applausit Minervinus Propositioni, quam attuli ex Pallavicino, est autem hæc. *Commutata in quibusdam principiis Philosophiâ Religionem quoq; mutari, seu potiùs everti necesse est.* Mihi videtur insolens istud dictum speciem præseferre jactantiæ, & plùs

plùs justo deferre philosophiæ. Tu quid putas Musoni?

Musonius Tantopere multùm in commendatione Peripateticorum provectus est Eminentissimus Auctor, ut mihi videatur procul veritatis limites excessisse. Quid enim cum fidei Christianæ mysteriis connexionis habeat vetus illa de principiis physicis controversia? quæ & ab antiquis philosophis acerrimè disceptata, à sapientissimis Recentioribus in aciem educta, usq; hodie dubio Marte pendet, nullus video. Satìs firmo & invicto armorum robore per se communita est vera Religio, auxiliaris Stagiritæ manûs minimè indiga. Sanè lamentabilem & deplorandam dico fore veritatum Divinarum conditionem, si eas everti & ruere necesse est, summota Aristotelis opitulatione. Libertas equidem philosophica, quæ Peripateticorum Principia respuit, & evanida ostendit, Religioni officere nullatenus potest: nisi credas naturæ veritatem, veritati revelatæ adversari posse: aut rectam rationem pugnare cum lumine Divino. Sed quid ego verba perdo? Habeo luculentissimum eorum

quæ dixi, Assertorem, Antonium Genuensem, qui pro me ita perorat. *Eam Philosophiam profitemur, quæ recta ratione duce utitur. Quodsi hæc libertas Religioni nocet? recta ratio Religioni adversabitur, quô nihil magis impium dici potest. Nempe sunt adhuc, qui putant non posse Arabico-Peripateticam philosophandi rationem everti, quin Theologia evertatur, aut obscuretur. Qua persvasione quid; non dicam absurdius, sed Religioni Christianæ perniciosius esse potest? Quasi nimirum non posset Christianorum Religio stare, sine Arabum aut Græcorum Philosophia* (i)

Minervinus Omnia magnifica splendida omnia tuo cum Genuensi Leucippo attulisti Musoni, præter res & verba. Et verba quidem sarcasmis, probris, cavillis scatentia, maligno in Aristotelicos, atq; adeo in Divum Thomam spiritu incitata, suffusa odio, ad maledicos latratores releganda esse. In re, quàm turpiter succubuisti, mox intelliges. Recta, verior & sanior, Peripateticorum de Principiis corporum opinio quid ad explicanda propugnandaq; Divinæ Fidei Mysteria

(i) Præfat: Elem: Metaph.

steria conferat, nullus vides? facilè credo. Sicut enim Asionum, ita Epicureorum oculi aliquid in tenebris nictando percipiunt, in luce caligant. Sed hanc cernendi hebetudinem persanabit claritas & evidentia rationis, quam in argumentum sic adstringo.

Consecutiones Theologicæ, per quas dogmata Religionis comprobamus, demonstramus, à fallaciis Sophistarum, ab objectationibus Hæreticorum, à multiplici errorum impressione defendimus & vindicamus, unde eruuntur? Nimirum ex his duobus simul conjunctis: ex notionibus naturæ, & ex Auctoritate Dei loquentis. Nisi enim scientia naturalis subministraret nobis certas, veras, & indubitatas notiones naturæ, circa quas Orthodoxi Philosophi omnes concordare debeant; non possemus quidquam vel rectè enuntiare, vel legitimè inferre de DEO & Divinis. Exempli gratiâ. Ponamus DEI Ter Optimi Maximi definitionem, quam adfert Divus Augustinus. *Deum cùm audis, substantiam intellige incorpoream, simplicem, sine ulla admixtione, invisibilem, ineffabilem, sine Auctore exi-*

 sten-

stentem. (k) Hæc propositio Theologicè demonstrari nequit sine notione corporis, notione substantiæ tam simplicis, quàm compositæ. Item hæc ex Divo Thoma: *Deus est purus actus omnem potentiam excludens sine ulla etiam accidentali concretione.* (l) Hæc propositio Theologicè demonstrari non potest, sine notione actus & potentiæ Physicæ, sine notione accidentis & concreti accidentalis. Ponamus item dogma Fidei de Mysterio Verbi Incarnati, quod Divus Athanasius in Symbolo ita explicat: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Hæc veritas Theologicè comprobari nequit, sine notione partium, ex quibus componitur; & unionis, per quam unum substantiale compositum fit homo. Commutatîs itaq; notionibûs naturæ, necesse est mutari veritates fidei Divinæ atq; adeò Religionem everti.

Sed mutatâ in quibusdam principiis Philosophiâ, mutantur notiones naturæ; abrogatâ enim Aristotelicâ de Principiis doctri-

(k) In Exposit: Symb: (l) Compend: Theol: c. 9. & 18.

doctrinâ, jam per Epicureos mutatur & subvertitur notio potentiæ physicæ, notio actus physici, notio materiæ primæ, notio formæ, notio unionis, notio corporis, Notio substantiæ, notio accidentis, notio compositi substantialis, notio compositi accidentalis &c. Ergo.

Jam oculos aperuisti? jam acutùm cernis? quid cum mysteriis Fidei connexionis habeat, sana, incorrupta solidè fundata de principiis corporum opinio? Jam Eminentissimo Cardinali, quam rapuisti existimationem recantas? & fundatissimi Doctoris nomen ac honorem restituis?

Sed id totum luculentissimè apparebit in vestra Epicurea philosophandi insolentia. Essentiam corporis constituunt Peripatetici cum Platone, Aristotele, cum Divo Augustino, cum Divo Thoma in materia & forma, ex quibus materia sit potentia physica; forma sit actus, qui dat speciem rei & esse rei. Quantitatem cæterasq; proprietates & formas adjacentes extra essentiam ponunt ab ea Divinitus separabiles. Ex hac doctrina lucem acquirunt & invictè corroborantur Articuli fi-

li fidei de prodigiosa Virginei Partûs Verbi Incarnati Nativitate: de prodigiosa Christi, immoto lapide sepulchrali à mortuis Resurrectione: de admirabili, clausis januis in cænaculum ad Discipulos penetratione: de actuali in Sacramento Altaris sub minutissima quæ vix sensibûs attingi possit, accidentium panis & vini portione, totius Christi cum anima & corpore præsentia: de quantitatis extensivæ panis & vini existentia physica, sine substantia panis & vini. Has veritates, quas disertè Sacra Scriptura, Concilia & Patres credendas proponunt (*m*) evertit commentitiis suis principiis, & notionibus naturæ falsis, nova Epicureorum pseudo-philosophia. Cùm enim notionem corporis constituunt in trina extensione imo ajunt, quod omne corpus sit ipsa actualis trina extensio in longum,

(*m*) *Quid mirum est, si clausis januis post Resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit? qui moriturus veniens, non aperto utero Virginis exivit* D. Greg: Homil: 26. in Evang: *Moli corporis ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit quo nascente Virginitas Matris inviolata permansit.* S. August: super Joannem.

gum, latum & profundum; tollunt fidem de penetratione Verbi Incarnati, tum per uterum Virginalem, tum per lapidem sepulchralem, tum per fores cænaculi firmissimè obseratas: & quod apud Orthodoxos est dogma Fidei, hoc Epicureis implicat contradictionem. Tollunt fidem à Concilio Tridentino Sess. 13. Can. 2. definitam de *transubstantiatione* panis & Vini in substantiam Corporis Christi, & accedunt fanaticis gregalibus Lutheri *impanationem* prædicantis. Si enim essentia Corporis *vg* panis, est ipsa actualis trina extensio; tunc vera erit ista propositio. Ubi datur quantitas extensiva panis, ibi datur substantia panis: sed in Sacramento Altaris datur quantitas extensiva panis: hoc enim omnes Orthodoxi Theologi cum Divo Thoma profitentur, & ipsa Hostiæ consecratæ figura, durities, impenetrabilitas, fractio, divisio, quæ oculis ac manibus tenetur, demonstrat. Ergo datur substantia panis: Unde infertur impanatio. Dixi: omnes Orthodoxi Theologi cum Divo Thoma. Divus enim Thomas disertissimis verbis quantitatem extensivam non imaginariam sed in esse rei

talem,

talem, in Sacramento Altaris agnoscit, & cum Gentium Apostolo (*n*) pro fidei dogmate statuit, ubi ait. *Necesse est dicere, accidentia alia, quæ remanent in hoc Sacramento esse sicut in subjecto, in quantitate dimensiva panis & vini remanente. Primò quidem per hoc, quod ad sensum apparet aliquid quantum, esse ibi coloratum & aliis accidentibus affectum: nec in talibus sensus decipitur. Secundò quia prima dispositio materiæ est quantitas dimensiva; unde & Plato posuit: primas differentias materiæ, magnum & parvum. Et quia primum subjectum est materia; consequens est, quod omnia alia accidentia referantur ad subjectum mediante quantitate dimensiva. Et quia subtracto subjecto remanent accidentia secundùm esse quod prius habebant; consequens est, quod omnia accidentia remanent fundata super quantitatem dimensivam.* (*o*) Vel igitur tantus Ecclesiæ Doctor cum Apostolo Paulo atq; omnibus orthodoxis Theologis falsus Magister est; vel sibi ipsi contradicit, & quam impugnat, atq; omnimodis

(*n*) *Panis quem frangimus nonne participatio Corporis Domini est?* 1. Cor: 10.

(*o*) In summa 3tia Parte Qu: 77. a. 2.

modis evertere laborat, impanationem adstruit; vel Neo-epicurei Philosophi, ab omni recta ratione deserti, à veritatibus fidei delirant. De Angelico & de Gentium Doctore alterutrum sentire, hominis temerarii, ac impudentis est. Ergo.

Quid contra hæc Epicuri Schola grunniet? Clarissima verba Divi Thomæ sunt, explicatione non indigent, interpretationem admittunt nullam. Habebunt forte aliquam reverentiam saltem in Sententia Theologico-dogmatica, Angelici Doctoris, satagentq; velut sepia atramento effuso linum evadere. Hæc omnia verè affirmari posse dicent non secundùm rei veritatem, sed secundùm id quod sensibus apparet. Deus enim, inquiunt, ad occultandum Mysterium, repræsentat sensibus & phantasiæ extensionem cæterasq; panis species, quæ extra mentem nihil sunt. Vel ad commune omnium Hæreticorum asylum confugient: recta ratio dictat, nullatenus essentiam corporis vel concipi vel intelligi posse sinè trina extensione. Egregiè in omnes partes vertunt se acutissimi præstigiatores: qui Deum ipsum in hoc Sacramento, decepto-

ceptorem & Auctorem falsi, qui per umbratiles formas oculis errorem offundat, & sensus ludificetur; facere volunt. Sed nullis argutiolis se ex vinculis expedient: tenentur undiq;! Occurrit enim ejusmodi phantasiæ morbo laborantibus Angelicus Doctor: atq; omnia simulatarum specierum Idola tanquam mera somniatorum deliramenta amputat. Attendamus æquis auribus Aquinati. Ita enim Neutonianos Novatores concastigat & concidit, quasi hodie sub oculis nostris, hæc pestilentis Philosophiæ monstra confoderet, prosterneret, & jugularet. Inquit enim. *Quidam dixerunt. quod non erat in hoc Sacramento fractio secundùm rei veritatem, sed solùm secundum aspectum intuentium. Sed hoc non potest stare: quia in hoc veritatis Sacramento sensus non decipitur circa ea, quorum judicium ad ipsum pertinet: inter quæ est fractio. Fractio autem fit per divisionem quanti. Sed nullum quantum ibi dividitur, nisi species Sacramentales; quia neq; substantia panis quæ non manet; neq; Corpus Christi, quia est incorruptibile & impassibile: estq; totum sub qualibet parte; quod quidem est contra rationem ejus, quod divi-*

ditur. Unde relinquitur, quod fractio sit sicut in subjecto, in quantitate diminensiva panis, sicut & alia accidentia. (p) Quin etiam istiusmodi falsitatis Doctores, ad præstigiatricem Orci Scholam condemnat Divinissimus Magister. Sic enim ille: *Non hoc fieri dicimus, quasi species illæ, quæ sensibus apparent in Sacramento, sint solùm in phantasia videntium: sicut solet esse in præstigiis artis magicæ. Quia veritatis Sacramentum nulla fictio decet. Sed Deus, qui est substantiæ & accidentis Creator, potest accidentia sensibilia conservare in esse, subjectis tamen in aliud mutatis. Potest enim effectus causarum secundarum per sui omnipotentiam, absq; causis secundis, & producere & in esse conservare.* (q) Hæc si adhuc cæcultantibus Epicureis ad capiendum lumen non sufficiunt? ingero alteram facem ex eodem Doctore Angelico semper uniformiter eandem doctrinam dilucidè inculcante. *Accidentia in hoc Sacramento manent sine subjecto: quod quidem virtute Divina fieri potest. Cum enim effectus magis dependeat à Causa prima, quàm à cau-*

(p) 3. p. Q. 77. Art: 7 in Corp: (q) Opusc: 3. cap. 8. Contr: Græc: Armen: & Saracen.

à causa secunda; Deus qui est prima Causa substantiæ & accidentis, per suam infinitam virtutem, conservare potest in esse accidens, subtractâ substantiâ, per quam conservabatur in esse, sicut per propriam causam. (r)

Tanti Auctoritas Magistri non anilibus ineptiis Lucretii Poëtæ, non versificatorum ludicris fabulositatibus, sed ponderosissimis argumentis & rationibus succincta, exitiabili plaga dissipat, effligit, ac elidit omnes strophas, captiunculas, putridas tramas Epicurei systematis Patronorum, cum Nevtono, Volfio, Leibnitio, cæterisq; ejusdem furfuris, blandè ac peramanter coruscantium.

Ex his disce Musoni. Quantitatem nec esse, nec salva fide posse esse de essentia rei corporeæ. Sed esse accidentalem effectum (etiam Platonis oraculô) ex materia tanquam causâ primitus ante omnes alias formas emanantem. Quem, uti & omnes formas accidentales, potest Deus se solo, sine consortio creaturæ, & creare, & tantò magìs aliunde productas se solo conservare in esse rei, quod in hoc Sacramento facit. Disce iterum: acci-

(r) 3. p. Q. 77. Art. 1 in Corp.

accidentales formas, secundum Catholicam Philosophiam necessariò dari non in repræsentatione tantùm, sed in esse rei: neq; eas, citra fanaticorum insaniam negari posse. Jamq; ampliùs cum tua recta ratione duce ne efferas te. Quæro enim: Ratio, quam Divinissimus Doctor pro Omnipotentia Dei multiplicem attulit, estne recta? estne sana? estne probabilis? estne credibilis & convincens? Nisi duro, contumaci & evidentissimis, quæ oculis palpari possunt veritatibus rebelli ingeniô sis, refragari non potes, rectissimâ, certissimam, fundatissimam ac inexpugnabilem esse. Ergo tua, quæ, Omnipotentiam Creatoris impugnat, falsa, improbabilis, inermis, deniq; prorsus nulla ratio est.

Jam tibi Musoni, in parte ostendi quantùm stipendiaria Peripateticorum manus pro Religione militat. Progrediamur ultra.

Theophrastus. Satìs interim dixisti: concede aciem Musonio. Agat etiam ille pro se, ne eloquentiâ tuâ & eruditione obrutus esse, & ad infantiam redactus videatur: Facilè est vincere, si solus

lus curras, neq; patiaris alium, quîcum concurras. Sed ante omnia doceri à te velim, quo fine tu Lucretii Pòétæ, ejusq; versificationum mentionem intrusisti?

Minervinus. Quia hi novæ Philosophiæ inventores, fabulositates Lucretii Pòétæ, pro Achille & basi suarum commentationum statuunt: istius aliorumq; Pòétarum Carminibus Prælectiones implent, Disputationes Thesesq; publicas, tanquam ineluctabili argumento suffulciunt, ac infarciunt.

Theophr: Credamne? Non potest hæc res apud me ullam fidem invenire. Viri Sapientissimi sunt. Jam autem Carmina serere eorumq; magnam vim ex memoria deproperare, dum seria res vertitur, & philosophicum prælium flagrat, hominis vanissimi jocularis nugacitas est. Neronem lego, dum Roma tota, se incentore, arsit; Citharam sumpsisse, & Homeri Iliadem cecinisse. Quid tu? putas illos ita pariter ineptire? dum in periclitationibus digladiantium inter se disceptatorum vertuntur? Quis oppugnator Vir doctissimus gravis & serius, non indignissimè feret, si, ubi ille argumen-

mentum posuit, cujus nervus difficulter solubilis, non frigidam nec invalidam satisfactionem postulat; contrà Adversarius Lucretium opponat, ejusq; insulsissimas cantiunculas modulari incipiat? Quis illum non commotæ mentis hominem reputabit? Risum teneatis amici. Abjice ista non credo.

Minerv: Quinimo tanquam pueri, dum in Grammatica memoriæ pensum reddunt, integras Alvari tabulas expeditè recitant?

Compositum simplexq; modo variantur eodem &c.
Sed plico dat plicui plicitum cum præpositura.

Sic isti Philosophi, in omni disputationum Theatro, Lucretii Musam decantant.

Namq; eadem Cælum, mare, terras flumina solem (mantes
Constituunt, eadem fruges arbusta ani-
Verùm aliis aliisq; modis commixta moventur
Tantum elementa valent permutato ordine solo.

Theophr: Jam ex parte non adeò incredulo mihi venit in mentem, quod in Anna-

Annalibus Ecclesiasticis legitur. (*s*) Vertente Anno Christi Nati Millesimo, in Italia Vilhardo cuidam Grammatico Ravennati, tale visum dormienti objectum est. Cernere sibi per nocturnam quietem videbatur Virgilium, Lucretium, Horatium, Ovidium Pöëtas, magna luce circumfusos, tanquam è Cælo, ad se descendere, eosq; gravi oris Majestate coruscantes, stupidum admonuisse ut prædicaret: ad cognoscendas naturæ veritates, ad arcana philosophiæ penetranda, quin etiam ad Evangelii verum lumen capiendum, necessaria esse monumenta & opera Pöëtarum eorumq; lectionem ac eruditionem. Evigilat, & ecce videt se quasi Divini furoris entheo, & quadam inflammatione animi percitum, repentè Musarum, Phœbiq; Sacerdotem factum esse. Cæpit itaq; circumcursare villas, obire vicos & oppida, conciones populorum cogere, illosq; instituere, imprimis de materia prima ex Ovidio.

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos: rudis indigestaq; moles,

Nec

(*s*) **Baronius ad Annum 1000.**

Nec quidquam nisi pondus iners congestaq; eodem
(rerum
Non bene junctarum discordia semina.
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens àër, nulli sua forma manebat:
(uno
Obstabatq; aliis aliud, quia corpore in
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Descendit deinde ad docendam Psychologiam, cecinitq; ex eodem Vate.

Morte carent animæ, semperq; priore relicta
(receptæ.
Sede, novis domibus habitant, vivuntq;
Omnia mutantur, nihil interit: errat & illinc
(cupat artus
Huc venit, hinc illuc: & quoslibet oc-
Spiritus: eq; feris humana in corpora transit,
Inq; feras noster, nec tempore deperit ullo. (*t*)

Prædicabat itaq; animas brutorum spirituales esse, non de terra ortas, contrà quàm Sacræ literæ nos expressè docent,

F

(*t*) **Metamorph; l. 1. & 15.**

cent, sed à solo Deo creatas, utpote purè Spirituales, intellectionis, artis, industriæ ac disciplinæ capaces. Hominum verò animas, naturâ indifferentes esse ad regenda vel non regenda corpora: ad humana vel belluina: secundùm destinationem Dei. Easq; transmigrare nunc hominum in belluas; nunc belluarum in homines. Et ideo non in toto corpore, non in carne, non in organo oculorum vel aurium, non in pedibus aliisq; membris sedem habere, sed solùm tanquam pulices, in minutissima cerebelli particula degere, quò expeditiùs possint has metamorphoses ad Dei nutum exercere. Hactenus Vilhardi errorum Magistri Philosophia.

Minerv: Non admodum longè absimilem Sapientiam in *Noctium* Sarmaticarum *Vigiliis* legi, ubi Auctor perelegans, Sybaritico phaleratæ inanitatis verborum luxu bullatus & lautus, in Oratione totus Antiquarius, novæ Philosophiæ principiis, Exetesticum suum Varmium erudire laborat.

Theophr: Nolim Tibi obstrepere: sed curiosus sum, quid Nominis fert *Antiquarius?* Hæc enim vox, quasi nova in aures

aures meas nunc primùm influxit.

Minerv: Qui abjecta, obsoleta inusitata verba ex tenebris vetustatis effodiunt, & eruditionis famam affectatione antiquitatis aucupātur Antiquarii vocātur. Quale dicendi genus perfrigidum, prærancidum, insipidum Tullius Fabiusq; multimodis perstringunt. Quintilianus dicit: *Abolita retinere, insolentiæ cujusdam est, & frivolæ in parvis jactantiæ. Ex obliteratis repetita, nec crebra sint, nec manifesta: quia nihil est odiosius affectatione: & Oratio, cujus summa virtus est perspicuitas, quàm vitiosa sit, si egeat Interprete?* (u) Horatius etiam monet.

Ut Sylvæ foliis pronos mutātur in annos,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas. *ad Pisones.*

Teophr: Perge nunc ad cætera persequenda.

Minerv: Talibus veteramentis consuto centone, tanquam laticlaviâ Togâ conspicuus, fastuosus magis nescio, an fastidiosus, priscæ Facundiæ ostentator, nova metempsychoseos portenta ebullit. Animæ quidem humanæ parcere videtur, bruto

(u) Lib: 1. cap: 6.

brutorum tamen animantium formis, quas omninò spirituales substantias esse vult, transmigrationem de Corpore in Corpus Pythagoream concedit. Et propterea mirum in modum concelebrat Friderici Meyer Physici, seu potius Medici Hallensis cogitandi sagacitatem: quasi supra omnes cùm Veteres, tum Recentiores Philosophos altiùs in cælum evolaverit, eò, quòd facta in quatuor classes Spiritualium formarum distributione, secundùm diversos gradus & modos intelligendi, tandem concludat: non repugnare, ut bruta irrationalia, post multas & varias Metempsychoses, hoc est, post multiplices in aliorum brutorum corpora solertiora magisq; perfecta trnnsmigrationes, tandem omnium graduum intellectûs, perfectumq; rationis usum, ac demiq; rationalem naturam & dignitatem adipiscantur, fiantq; perfectissimi Spiritus & Intelligentiæ. Dixi parcere eum voluisse animæ humanæ; minimè gentium. Cui enim sano intellectui non evidentia sunt absurda, quæ ex hisce laudatissimi Physici Hallensis nugatoriis commentis sponte consurgunt ac emanant? *Primum*. Fieri

eri posse, quòd brutum irrationale, post multas Metempsychoses, evadat animal rationale: atq; ita specie, naturâ, definitione rei & essentiâ non differat ab homine. *Alterum*. Quòd omnium bestiarum bestiolarumq; animulæ, sive aranei sive muscæ, sive canis sive lepusculi: sive hirci, sive ursi, jam nunc sint naturâ & dignitate perfectè spirituales, & rationales intelligentiæ. Implicat enim contradictionem, ut id quod est creatum naturâ irrationale, progressu temporis evadat rationale: Implicat, ut quod initiô productionis sui ex nihilo, non est principium ratiocinationum, productione vitæ, acquirat prædicatum principii ratiocinationum. Aliàs mutarentur Essentiæ rerum quæ sunt æternæ ac immutabiles. Et pari temeritate asseverare aliquis Semidoctus posset, quòd etiam anima humana, dum primò Corpori infunditur, dum Infantiæ nubilô & organorum crassitudine obvolvitur, naturâ non differat ab anima brutorum, sitq; irrationalis, donec sensim procedente ætate, acquirat vim expeditam perfectè intelligendi, ratiocinandi & volendi: atq; tunc primùm ho-

munculus ille evadet animal rationale. Quô quid absurdius cogitari potest? Si ergo animæ brutorum eluctari possunt ad statum perfectissimorum Spirituum ac intelligentiarum; necesse est, ut hoc attributum essentiale statim initio essendi habeant à natura. Proinde canis &. lepus; musca & araneus: hircus & ursus, jam nunc sunt animalia rationalia, suntq; perfectè spirituales intelligentiæ. Id quod nulla ratio, quæ vel scintillam recti luminis habeat, suscipiet.

Tertium Quòd anima belluina, post multas transmigrationes, postquam naturæ rationalis perfectæq; intelligentiæ dignitatem nanciscetur, poterit corporis humani organa animare, occupare alicujus Embryonis glandulam pinealem, dominiumq; in totum corpus harmoniâ Leybnitiano Volfianâ exercere. Et sic vg. anima olim vulpina migrare in Ulyssem: anima olim Elephanti, quo belluarum nulla prudentior, evadere in Darium Regem: anima olim Bucephali constituere Personam Julii Cæsaris. *Quartum* Siquidem non repugnat, ut pares evadant perfectione intelligendi, ratiocinandi, &

volen-

volendi, animæ belluinæ & humanæ; sequitur, quod tam animæ belluinæ possent Corpora humana informare, quàm vicissim animæ humanæ commigrare in Corpora belluina: nequicquam illis decedente perfectione, quam habent intrinsecam, pro alterutro Statu, sive sint belluæ, sive homines. Et sic eximius Doctor Hallensis, sive conscius sibi, sive inconscius, egregiè suffulcit ac proseminat Pythagoream animarum Metempsychosim. O Virum incomparabilis eruditionis plenissimum! Si talis Philosophus non in Poloniam, ubi deliramenta hujusmodi exsibilantur; sed in Magni Mogolis Imperium, ubi dogma Pythagoreum usq; hodie religiosissimè observatur, se penetrare voluisset; quantis quæso honoribus esset exceptus? quali triumpho tanquam cælo delapsus Divinus Magister adoraretur.

His, aliisq; compluribus, hypotheticè quidem, id est, duntaxat dici gratiâ, cùm Veterum, tum Recentiorum Philosophorum anilibus ineptiis operosè recensitis, quæ judiciô Magni Augustini, statim intellecta derideri, abjiciq; deberent,

berent, Auctor non incultus & rerum physicarum notione, ut ipse sibi plaudit, non leviter tinctus, Varmium quidem nihilo doctiorem faciet. Est enim Varmius Vir omnigenæ abundans Sapientiæ, in omnibus Scientiis Eminentissimus. Qui, dum nihil soliditati, nihil probabilitati, nihil possibilitati cõgruum, sed meras ambages & chimæras se coram proponi explicariq; cernet, indignabundus exclamabit cum Divo Thoma. *Studium Philosophicum non est ad hoc, ut sciatur quid homines senserint?* Quid Crates? quid Thales? quid Trismegistus? quid Leucippus? quid cæteri stolidis erroribus inflati speculatores reputaverint. *Sed qualiter se habeat veritas rerum?* (x) Hic Rhodus, hic Saltus.

Exclamabit iterum, doctrinâ, eruditione, judicio, limatissimus Varmius. Quò mihi Tu Leybnitios, Meyeros, Rorarios, sibiq; similes argutulos Tricones obtrusisti? Nonne millies his divinâ antecellit Sapientiâ Doctor Angelicus? qui me in Summa Theologica sic docet: *Bruta animalia habent instinctum naturalem, ex divina ratione eis inditum: per quem habent motus similes motibus Rationis.* (y) *Ut enim appetitus naturalis rerum insensibilium sequitur apprehensionem alicujus Intellectûs instituentis naturam; sic appetitus sensitivus brutorum animalium, quæ quodam instinctu naturali agunt, sequitur apprehensionem Intellectus separati Divini qui instituit naturam. Unde, in operibus brutorum animalium apparet similis processus, sicut in artis operibus. Et quamvis non cognoscant futurum, tamen ex instinctu naturali moventur ad aliquid futurum. Hujusmodi enim instinctus est eis inditus ab Intellectu Divino prævidente futura.* (z) Unus hic mihi Magister est, (dicit Varmius) Idemq; Ecclesiæ Doctor inexpugnabilis Divus Aquinas: Qui seu Veterum Opinatorum hallucinationes; sive Novitiorum insulsitates, jam olim strenuè prostravit, strangulavitq;. Ita quidem à se expediet Varmius, malè somniantium Vigiliarum Scriptorem.

Cæterùm alium quempiam Adolescen-

(x) Lib: 1. de Cælo.

(y) 1ma 2dæ q. 46. ar: 4. ad 2dum.

(z) Ibidem q. 4. ar. 3. *Utrum Spes sit in animabus?*

scentem Exetesticum, tot inter se confligentibus fabellis, quarum cupiditatem juvenibus affert novitas, offusum & obrutum, facilè cæcas in foveas adducit, memoratus Auctor. Tanquam enim horrentia dumeta inter, saltuumq; condensa, in quadrivio constitutum, quam semitam fugere? quam cursu tenere debeat? incertum & anxium, in medio liberum relinquit.

Theophr: Ne mirere, Minervine. Neq; enim aliter sapere, neq; aliter philosophari didicerunt erudituli, ut Tu vocas, Novatores.

Qui vetere abjecta methodo, nova dogmata quærunt,
Nilq; suas præter tradere phantasias.

Alciatus.

Philosophia Peripatetica, fluvius est altus & vastus. Quantò longius à fonte excurrit, tantò exspatiatur latiùs. Uno tamen semper alveo se effundit. Quarè, & rostratarum navium, & classium inter se belligerantium patiens est. Antiperipateticis verò, Euripi aquæ sordescunt. Alios itaq; aliosq; canales, novos & novos, perpetim unusquisq; sibi fodiunt, & fossas

fossas ducunt non tot, quin plures. Minimè itaq; mirùm est, quòd ipsis identidem aqua hæreat: ut neq; vela pandere, neq; proram remulco trahere queant. Sed in sabulo defixis, non progredi ultra liceat, nec retrogredi.

Minerv: Ubi verò nobis est Italus ille Vilhardus Ravennas? qui mihi harum excursionum occasionem præbuit. Extorqueamus ab illo, fateatur: quo tandem Apolline hebes iste Grammaticus tam subitò in Eleaticum, Scepticum, Epicureum, Pythagoreum, Philosophum evasit? Nemini dubium est, quin docentibûs Diîs.

Theophr: Tace & cave, ne quid improbum effutias. Viris enim Sapientissimis, satis est, si dimidium dixeris: facilè enim comprehendent reliqua.

Minerv: Quin etiam fortè, quæ nos nec cogitavimus quidem, ipsi conjectabunt sibiq; apponent.

Theophr: Sed jam Musonius diutinæ patientiæ pertæsus, inturgescit, labia præmordet, ad reprehensionem accinctus. Tuæ jam vices aguntur Musoni: Responde. Servavi enim alteram aurem Tibi.

Muso-

Musonius Clarissimè quidem exposuisti Minervine, Angelici Doctoris Sententiam, quam ego summisso capite & reverenti osculô deveneror. Nihil me tamen cogit, ut rationi & judicio recto nuncium remittam. Aut à trutina liberè sentientium Philosophorum discedam. Unum est, quo me velles opprimere. Nimirum, Legibus & jurata fide obstrictum esse me ad sequendam in Theologicis dogmatibus Divi Thomæ Sententiam. Hoc ego profiteor, atq; etiam palàm jactare possum Discipulum juratum esse me Angelicæ Sapientiæ. Cæterùm in una & altera opinione, quæ magis philosophiam respicit, ejusq; principiis stat vel cadit, à Divo Aquinate nonnihil dissentire, non perinde est, atq; à tota Aquinaticæ Theologiæ Schola secessionem facere. Quarè, parces mihi, quòd ingenuè dicam contorta in me, ex Thomisticæ Scholæ ballistario jacula, me non petunt. In contraria opinione sum; Viris Sapientissimis Nevtono, Volfio, Leibnitio, Cartesio, Gassendo, cæterisq; Neotericis subscripsi.

Minerv: Hoc est, quod à te audire fla-

flagrantissimè discupivi. Ita quidem libertini Philosophi; fucum Catholicis Doctoribus facere, atq; etiam suis discipulis os sublinere, & caliginem offundere soliti, Angelicum Doctorem, in iis quæ Theologiam concernunt, Magistrum suum esse, cum jurata animi testificatione divulgant, & passim in omnibus triviis publice jactitant, ac decantant. Sed mendaciter, sed fictè, sed fraudulentèr. Quippe Nevtonus, Volfius Leibnitius, cæteriq; hæreseos labe infames, hi sunt Vestri Angelici Doctores. Istis tu primas omnium tribuis: hos & Sanctissimis Ecclesiæ Doctoribus anteferre præsumis? Scientissimè olim ad Atticum suum pronunciavit Cicero. *Malo me cum Pompeio vinci, quàm cum istis vincere.* Idem ego: Malo cum Divo Augustino, cum Divo Thoma vinci me; quàm cum his quos recensuisti, nova portentosa somnia crepantibus Sophistis triumphare. Si Aquinati Magistro, qua parte Antiperipateticis contrarius, non æquus, sed sinister & adversaror est, fidem remittis, repudium dicis, & deficis? totus, quantus est Aquinas, totus abjiciendus abolendus ejurandus tibi erit. Sed

Sed vide in quales angustias tuus te ille Volfius aut Leibnitius mox conjicient? Lutheranæ pestis Sectatores ejusq; acerrimos propugnatores esse non ambigis. Ergo impanationem, seu existentiam substantiæ panis & vini simul cum Corpore Christi in Eucharistia mordicus tanquam veritatem revelatam credunt, & tanquam pro Aris & focis pugnaciter in hoc errore obfirmantur. Sic igitur te aggreditur Volfius. Quærit imprimis quo loco apud te sit doctrina Divi Thomæ affirmantis in Mysterio Eucharistiæ dari veram physicam quantitatem dimensivam accidentium panis & vini: & veram physicam fractionem ac divisionem eorundem accidentium? Tu illam, inquit Volfius, tanquam minimè credibilem, neq; cum Ideis rectè sentientium Philosophorum cohærentem, quatuor obolis non æstimas. Mihi verò, ait idē, supra aurum & monilia æstimabilior habetur. Pro Angelici Doctoris verè Angelica Sapientia, soliditate, & sinceritate doctrinæ pugno, caput meum oppono, & vindicias suscipio. Dico illam Divinæ veritatis Oraculum & Fidei Dogma esse.

Negas?

Negas? probo. Probo autem ex puro Verbo Dei. Quid enim summa Veritas Christus? *Lucæ* 22. *Accepto Calice, gratias egit, benedixit, & dixit: Accipite & dividite inter vos. Et accepto pane, gratias egit, benedixit, fregit, & dedit eis.* Quid Lucas? cap: 24. *Et ipsi narrabant quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Quid Idem Actorum 2do? *Erant autem perseverantes in doctrina & communicatione fractionis panis.* Sed luculentissimè Paulus 1. Cor: 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Quid manifestius? quid expressius? quid explanatius dici potuit? Porro fractio vera neq; cogitabilis, neq; possibilis est, nisi per divisionem quanti: uti liquidissimè exponit & probat Divus Thomas. Nullum verò ex Patribus, nullum ex Doctoribus, nullum Theologum, nullam scholam sincerè Catholicam invenies, quæ fractionem non propriè sed metaphoricè intelligi debere interpretetur, & non agnoscat in hoc mysterio intercedere veram & propriè talem fractionem, veram & propriè talem divisionem, sicut veram & propriè talem sumptionem, comestionem,

nem, potationem. Infero. Ergo de Fide est Angelici Doctoris assertio. Hinc verò amentatam hastam porrigit mihi contra te, Angelicus Doctor, quâ te, occidione conficiam, dicit Volfius. Sic enim arguo, inquit.

Quantitas trinæ extensionis dimensiva Corporum *vg.* panis & Vini, est de conceptu essentiali corporum vg. substantiæ panis & Vini.

Sed de Fide est in Sacramento Eucharistiæ dari quantitatem dimensivam panis & Vini.

Ergo de Fide est in hoc Sacramento dari substantiam panis & vini.

Quò te vertes Musoni? quâ fugâ salutem petes? Jam lethaliter ictus es. Major propositio, tuus Epicureæ fidei primarius & princeps articulus est. Minor evidentissimè ad oculum demonstrata. Consequentia legitima. Ineluctabili nervo instrictus & inclusus es. Debebis igitur volens nolens, vinctas manus dare Lutheranismo.

Musonius. Non me coarctat talis argumentatio. Respondeo enim: in Sacrosancto Altaris mysterio non manere substantiam panis. Superesse quidem pristinam accidentium, sensibiliumq; proprietatum congeriem; quæ tamen substantialis forma esse & haberi non potest: quia in materia, quæ est subjectum informationis, illa tunc non reperitur: ideoq; panis & vini substantiam componere non potest. Vel quia, color ille, sapor, aliarumq; sensibilium proprietatum congeries nihil aliud, sunt, nisi coloris, saporis aliarumq; qualitatum species quæ sicut priùs à substantia; ita nunc ab ipso Deo sensibus nostris imprimuntur. (a)

Minerv: Ha! ha! ha! ridebunt effusissimè hæc audientes, Volfius & Leibnitius: &, si aqualiculo obesiore sunt, præ risu dissilient. Quæris quare in petulantiores cachinnos solventur? caussam habent multiplicem. Primò, quia dissimulatis præmissis Argumenti, in quibus tota vis est, conclusionem non suscipis. Caditq; in te, ne quid crudius proferam, illud Divi Augustini: *Ego canto, tu ad aliam chordam saltas.* Et illud D. Hieronymi: *Manum peteris, & pedem porrigis.*

(a) Corsinus in Physica generali.

rigis. Non de quibuslibet sensibilibus proprietatibus res agitur; sed de sola quantitate dimensiva panis & vini. Quam si negas in hoc Sacramenro dari? manifestis sacræ Scripturæ testimoniis vim infers, Definitioni Tridentinæ Synodi Sess: 13. Cap: 3. obtrectas, SS. Patribus, Doctoribus, Theologis, deniq; omnium Catholicorum, qui de hac Cælesti Mensa participant, postremò & tuæ ipsius experientiæ sensuum repugnas. Si concedis? periisti. Lutheranæ Sectæ professionis proselitus es.

2dò. Quia vim Argumenti ne in minimo quidem infregisti aut debilitâsti. Stat inconcussa eadem difficultas, & eâdem compede te opprimit. Quærunt enim Volfius & Leibnitius. Congeries & cumulus sensibilium, quæ remanent, proprietatum panis, suntne corpus? Materialis forma substantiæ corporeæ, nequit non esse corpus: tu congeriem proprietatum sensibilium panis vocas formam, non spiritualem certè, sed materialem; non accidentalem sed substantialem. Ergo est corpus. Sed non est sine sua essentia; essentia autem corporis per te, est quan-

quantitas trinæ extensionis; ergo manet quantitas extensiva panis. Ergo manet etiam id, quod legitimè illatum est, scilicet substantia panis. Nihilo igitur plùs è laqueo te liberâsti, Lutheranus es.

3tiò. Quia quæcũq; ex Epicuri mantica protulisti, perridicula, ac incredibilia, nec philosophicè dicta sunt. Nam mentis rectæ philosophi, qui certâ viâ ratione & ordine in sua disciplina procedunt, distinguunt & discriminant ista: Genus, Differentiam, Speciem, Proprium, & Accidens. Singulisq; distributè assignant suas definitiones & essentias: in quo Divus Thomas accuratissimus est. *Proprium*. cum Divo Thoma definiunt; esse *id, quod convenit rei extra essentialiter*. Proprietatem rei physicam similiter definiunt, esse id, *quod est naturaliter debitum eidem rei, distinctum realiter ab ejus essentia*. Et talis proprietas respectu corporis est etiam quantitas. Tu hæc omnia confundis & misces: Confundis enim rationem substantiæ, cum ratione quantitatis aliarumq; proprietatum quæ sunt extra essentiales substantiæ. Confundis rationem formæ substantialis, cum

 aggre-

aggregato accidentium & proprietatum sensibilium, quæ sunt formæ purè accidentales, possuntq; saltem Divinitus non inesse subjecto, manente totâ substantiâ & essentiâ rei. Verbo, Epicuri more, non doces, non illuminas, sed quoddam chaos, & caliginem inducis. Unde talis responsio, apud cordatos Philosophos risum potiùs meretur, quàm seriam refutationem: ut pote quæ nec prima quidem sanioris Philosophiæ elementa capere velle vel posse videatur.

4tò. Ego præterea singulariùs ex tuis verbis, ita te exagitabo, tuis ut armîs te invadam & victum teneam. Collectionem proprietatum & accidentium sensibilium panis, vocas formam substantialem, ut excludas formam panis, à tota sensibilium proprietatum accessione distinctam, quam tu nulla rationabili perceptione deprehendi posse, & ideo merè chimæricam & fictitiam esse putas, atq; per hoc Angelicum Doctorem falsæ doctrinæ coarguis, qui tibi per omnia contrarius, manere quidem docet in hoc Sacramento congeriem accidentium & proprietatum sensibilium panis, eamq; servire

re non quasi aliquid substantiale, sed subjecti communis, utriq; conversionis termino, quod in omni possibili, sive formali, id est secundùm formam tantùm, sive substantiali, id est secundùm totam substantiam, mutatione physica, intervenire necesse est. Formam verò substantialem panis, quæ intelligentiæ tuæ improbabilis & investigabilis est, firmissimè adstruit, fortissimisq; rationibus probat, quæ cum subjecto informationis substantiam panis constituat, & cum eodem subjecto simul transeat conversa in substantiam Corporis Christi. (*b*) Dico itaq; à te talem formam, quæ per Angelicum Doctorem fundatissima; per Epicureos verò philosophastros, nec vera nec intelligibilis, sed absurda est, à te, inquam, vel ipsa inficiatione ac refutatione manifestè deduci, evinci, agnosci & comprobari quô si quid aliud risu majore excipi mereatur? non invenio. Id verò tibi jam nunc omni luce clariùs demonstrabo. Congeries pro-

 prie-

(*b*) 3tia Parte Quæst: 75. Art: 5. *Utrum in Sacramento remanent accidentia panis & Vini post conversionem?* Et Art: 6. *Utrum in Sacramento remaneat forma Substantialis panis?*

prietatum panis, sunt proprietates rei, quæ est substantia panis. Sed non sunt proprietates respectu sui, & reale ad se; proprietas enim physica rei, duo importat, rem cujus est proprietas; & ipsam proprietatem: nec quidquam referibile, refertur ad se ipsum, sed ad aliud distinctum. Non etiam proprietates sunt intuitu materiæ primæ. Hæc enim nudè secundùm se sumpta, cùm sit subjectum commune & indifferens ad qualcunq; formas; non magìs exigit esse sub forma panis, quàm sub forma lapidis vel canis. Ergo proprietates dicuntur per respectum ad aliquid tertium à materia & proprietatibus distinctum. Sed nihil aliud ostēdi potest, nisi forma Aristotelica, à Divo Thoma asserta, quæ materiam ponit in actu & specie talis substantiæ: eiq; dat simpliciter esse hoc aliquid, scilicet substantiam panis, cui naturaliter debitæ sint omnes ejusmodi proprietates. Ergo necessariò datur forma substantialis panis omnino distincta realiter à tota congerie proprietatum panis, qualem compertissimè & invictè cum omnibus Orthodoxis Theologis dari demonstrat Divus Thomas,

mas, & qualis ex tua responsione apertissimè evincitur. Satìs ne validè percussus & trajectus es? hæc est falarica, quam ipse cudisti.

Hæc duntaxat velitaris pugnæ præludia, & præcursiones sunt. Tandem ad rem gerendam veniamus. Ut tecum graviore & justo Marte decernam; tale tibi crimen intento. Ajo. Omnia, quæcunq; de hoc cælesti Epulo, Ecclesia, Concilia, & Patres credenda nobis proponunt; Epicurea philosophandi perversitas convellit, labefacit, subvertit, & integrum relinquit nihil.

Musonius. Calumniatoris Personam geris, qui falsum Bonis Viris crimen objectas. Sed nunquam vinces. Testudo leporem capiet, non tu in hac insimulatione Musonium.

Minerv: Plùs negotii lepus facessere potest Venatoribus, quàm impacti vobis probri convictio mihi. Probo meam propositionem: eamq; tali ratiocinatione testatam facio. Tria potissima sunt, quæ nos de hoc Sacramento, Evangelii veritas, & Synodus Tridentina edocet. 1*mò* Vera physica conversio. 2*dò* Conversio singu-

singularis & admirabilis, quæ omnem naturæ vim & ordinem superat; soli duntaxat virtute agenti infinita Deo possibilis: nempe totius substantiæ panis, in corpus Christi mutatio. *3tio* Quantitas dimensiva & sustentativa accidentium panis & vini, quæ remanent sine proprio subjecto. Cùm enim Tridentinum Sess. 13. cap. 3. speciebus panis & vini assignat partes, non imaginarias certè, sed physicas realiter divisibiles; docet siquidem: *totum & integrum Christum sub alterutra specie, & totum sub cujuslibet speciei partibus existere*; in Sacrificio autem oportet species reipsa frangi, & in partes dividi; & frequenter contingit easdem minutatim separari; separatio verò & divisio rei vera repugnat, nisi res revera sit divisibilis, divisibilis autem non erit, nisi fuerit sub dimensionibus; subjectum autem dimensionum est quantitas; manifestum est, non minus de fide esse, manere quantitatem dimensivam accidentium panis & vini post consecrationem; ac de fide est, sub minutissimo fragmine speciei panis vel vini guttula, integrum Christum contineri. Tria hæc, Angelica perspicuitate declarat D. Thomas.

mas. Quantum ad 1mum dicit. *Omne quod movetur, quantùm ad aliquit manet, & quantùm ad aliquid transit.* (c) In mutatione naturali, id quod manet, est materia: id quod transit, est forma. *Sed quia conversio substantiæ panis in corpus Christi non est similis conversionibus naturalibus, sed est omnino supernaturalis, sola Dei virtute effecta.* (d) Idcirco *non propriè habet subjectum, sed accidentia, quæ ibi secundùm rei veritatem sunt & remanent, habent similitudinem subjecti.* (e) Quantùm ad 2dum dicit. *Deus est Actus infinitus: unde ejus actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solùm potest perficere conversionem formalem, ut diversæ formæ sibi in eodem subjecto succedant; sed conversionem totius entis, ut scilicet tota substantia hujus, convertatur in totam substantiam illius. Et hoc agitur Divina Virtute in hoc Sacramento. Unde hæc Conversio non continetur in specie motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transubstantiatio.* (f) Et quoniam ratio substantiæ desumitur à forma, quæ

(c) 1. Part: Qu: 9. Art: 1. (d) 3. Part: Qu: 75. Art: 4. (e) Ibidem Art: 5. ad 1. & 2. (f) Ibidem Art: 4. in Corp:

quæ est ens in actu, magis quàm à materia, quæ est ens in potentia; idcirco firmandæ veritati Catholicæ contra novatores Carthesianos, Neutonianos &c. D. Doctor ponit tale argumentum: *Forma substantialis panis, est de substantia panis. Sed substantia panis convertitur in Corpus Christi. Ergo forma substantialis panis convertitur in corpus Christi: ergo non remanet.* (g) Quantum ad 3tium dicit: *Fractio fit per divisionem quanti. Sed nullum quantum ibi dividitur nisi species Sacramentales, ergo fractio fit sicut in subjecto, in quantitate dimensiva panis.* (h)

Hæc Orthodoxæ Fidei statumina, quôd arte veteratoria subruitis Epicureæ Scholæ Sapientes, jam ostendo. Vel enim dicis omnem illam corpusculorum combinationem, adhæsionem, complexionem, atq; adeò pristinam sensibilium proprietatum qualitatum & accidentium panis congeriem remanere, sed amittere esse formæ substantialis ex eo, quod maneat sinè subjecto informationis; & sic quidem contra omnem Philosophiam peccas,

(g) Ibidem Art: 6. in Corp: (h) Qu: 75. Art: 6.

peccas, qui putas posse existere rem, amissâ naturâ & essentia sua. Vel enim formæ substantiales materiales ita essentialiter pendent à materia, ex qua natæ sunt, ut neq; Divinitus sint ab illa separabiles, & sic sublatâ materiâ, necesse est tolli entitatem formæ. Vel non pendent ita à subjecto, possuntq; separari; & sic non manebit quidem effectus formalis formæ, qui est actuare materiam, & cum ea constituere unum per se; manebit tamen tota quidditas formæ: nempe virtus & aptitudo ad præstandum effectum formalem. Certè anima Sancti Petri existit nunc sinè subjecto informationis, non amisit tamen naturam formæ neq; respectum quem dicit ad propriam materiam, ut pars, & ut principium intrinsecum compositi substantialis. Sed ego hoc absurdum tibi condono ad saginam tuam: quippe Epicurei alacri ad devoranda inconvenientissima quælibet absurda stomacho estis. Gravius est quod urgeo, & pono universalem propositionem D. Thomæ. *Quod convertitur in aliquid, facta conversione non manet.* (i) Sed tua forma

(i) Ibid: Qu: 75. Art: 2do in Corp:

ma substantialis panis facta conversione, secundum entitatem suam & in esse rei manet; ergo non convertitur. Ergo non est transsubstantiatio. Urgeo 2dò. Id quod post conversionem manere dicis de pane in Sacramento, quocunq; nomine voces, quæro, estne quid substantiale? estne habens quantitatem? Tu qui accidentia absoluta à substantiis separabilia & realiter distincta agnoscis nulla, qui de essentia corporis quantitatem esse vis, negare non potes id quod remanet, substantiam esse. Infero: Ergo tollis transsubstantiationem. Jam enim in hac sententia verum erit dicere: aliquid, quod est de substantia panis non convertitur in Corpus Christi. Ergo falsum erit dicere: omne quod est de substantia panis convertitur in Corpus Christi. Propositiones enim istæ contradictoriæ sunt, non possunt esse simul ambæ veræ vel falsæ. Sed hæc universalis de fide est, & transsubstantiationem fundat ac definit. Ergo isti contradictoriè opposita falsa est, & transsubstantiationem destruit ac tollit. Non enim est transsubstantiatio, ubi non est totius entis in aliud conversio. Sed

est

est simplex naturalis mutatio, non admodum dissimilis illi motui, quo lignum cõvertitur in formam ignis: in hoc tantum differet, quòd in conversione ligni remanet materia, transeunte forma, hìc verò transeunte materia, remanet id totum, quod erat forma substantialis panis. Utraq; tamen conversio continebitur in specie motus naturalis, præsertim positô, quòd forma substantialis materialis possit separari & manere transeunte subjectô.

Vel desultoriè recipis te ad aliud diverticulum, dicisq; omnem illam sensibilium proprietatum & accidentium, panis & vini, coloris, saporis, odoris, cæterarumq; qualitatum congeriem, unà cum quantitate non manere, sed converti in substantiam corporis Christi; & itaquidem omnium mortalium, atq; tuos ipsius sensus exoculatos, captos & stupidos reddere vis, qui experimentali perceptione, tactu, gustu contrarium judicant, omnesq; Sacri, qui rem Divinam peragunt Mystæ, omnium sensibilium, proprietatum panis & Vini congeriem, earumq; dimensionem, fractionem, partitionem usu quotidiano exploratissimam

habent.

habent. Sed iterum, si tibi ita insanire jubet, ut hoc etiam absurdum devores & concoquere velis, per me licet: deridebere tamen ab omni Orthodoxorum Cætu, qui recto judicio, sana ratione, & sanis sensibus pollent. Fortiora sunt quæ premo. Negata quantitate dimensiva specierum panis & vini, negas totum Christum sub singulis specierum partibus contineri. Ubi enim nulla est quantitas, ibi nullæ sunt partes, divisibilitas nulla. Negatâ eâdem quantitate, tollis veram conversionem. Conceptus enim essentialis conversionis est secundùm D. Thomam, ut res quæ per conversionem movetur, quantùm ad aliquid sui maneat: illud verò aliquid necesse est ut sit in rei veritate tale, perseverans & stabile ut pote commune termino qui destruitur, & termino, qui de novo ponitur. Sed submota quantitate, & per consequens accidentibus quantitati inhærentibus, non ostendes aliquid rei quod maneat. Ergo. Tandem Conversioni Eucharisticæ singularitatem & admirabilitatem detrahis. Si enim species quæ remanent, inanes, vanæ, & tantummodo in repræsentatione poten-

potentiæ imaginativæ tales fuerint; jam conversio neq; miraculosa saltem quô ad modum, neq; talis erit, quæ solius Dei virtute effici possit, & nulli creaturæ sit possibilis. Nam species panis & vini non reales, sed merè phantasticas, omnemq; accidentium sensibilitatem, etiam Dæmon sensibus humanis imprimere potest. Idq; facere solet in cætibus & conviviis Sagarum ac Strigum: quæ existimant quæsitissimis cibis & panibus se tractari, se vesci, se vino inebriari: arido, jejuno, & inani semper post tantas comessationes, ventriculo.

Quid contra hæc Musonius? non ad unguem conata perduxi? assumptionem, quam probandam suscepi, non in evidenti luce posui? Testudo leporem cepit, non evasisti. Verùm exinde toto robore contra te sic insurgo. Atqui hæc docere, taliter sentire & respondere, est Fidei Divinæ veritatibus falsitâtem objicere, sanctionibus Conciliorum rebellem esse, Religionem contra, omni ratione pugnare, hæresim spirare: Probo sub sumptum. Concilium Tridentinum Sess: 13. Can: 2. Sanxit. *Si quis in Sacrosancto Eucha-*

Eucharistiæ Sacramento negaverit mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem Domini nostri JESU Christi, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationem appellat; anathema sit. Et Can: 3. *Si quis negaverit in Venerabili Sacramento Eucharistiæ, sub utraq; specie, & sub singulis cujusq; speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* His à Religione sancitis, deliramenta pravæ doctrinæ vestræ non aperta fronte contraveniunt? non directè contrà pugnant? Exere vires ingenii Musoni, quære qua elabi, & fulmen anathematis evitare rimâ possis? Videor mihi audire Neutonum, Volffium, Leibnitium, sua te exhortatione animantes: Quid inaniter torques te, & animô æstuas? Ex hac nassa nunquam exibis: præsertim cùm argumento nostro, in intellectu planè convictus, & constrictus in conscientia sis. Tridentina Sacratæ sanctionis lex te percellit? Despice, explode, vel qualitercunq; potes, elude. Aude aliquid bre-

vibus Gyaris & carcere dignum. Transmigra ad nos. An pauci Epicurei Philosophi tibi exemplo præiverunt? Baccalaureum de Prade præ oculis non habes? Gregorii Rothfischeri recens tragædia te fugit? Confessioni nostræ subscribe, & bruta fulmina non formidabis. Cernis? quò te & in quale præcipitium ducunt isti supra D. Augustinum, supra D. Thomam, supra Aristotelem æstimatissimi tibi Magistri?

Muson: Ante victoriam triumphum canis Minervine, tanquam si Palladium rapuisses. Nihil tua venatione cepisti, nihil retibus conclusisti. Salvus & integer, tuas omnes machinas, Argivo Clypeo protero & contundo. Respondeo enim cum Sapientissimis Maignano, Ballio, Purchotio cæterisq; innumeris: Deum quidem efficere illas impressiones in sensibus nostris, quas ante consecrationem substantia panis, & vini efficiebat. Omnes tamen Conciliorum & Patrûm, sed nominatim Tridentini locutiones per nos salvæ & indemnes consistunt. Dicimus enim verissimum esse: Christum contineri sub specie panis: id est appare-

re sub specie panis: Totum Christum existere sub qualibet speciei parte; quia totus est ubi una hostiæ pars apparet. Dicimus remanere species easdem, quæ in pane fuerunt; quia perseverat eadem apparentia. Sensibilitatem specierum dicimus in hoc stare, quòd Deus efficiat easdem impressiones in nostris sensibus, quas ipsa objecta facerent. Ad cõversionẽ verã sufficere dicimus actiones Divinas repræsentativas specierum, quia propriè dici possunt species objectivæ, tenent enim se ex parte objecti. Quid ultra ad Orthodoxæ Fidei Confessionem requiri possit? non video.

Minerv: Contrà insurgo, atq; unô Ciceronis verbô, quô Epicurum ille percussit, jugulo te. *Hæc tota res ficta pueriliter est!* ait Tullius. (*k*) Hæc tota res nullo fundamentô, ex nulla vel modicè probabili ratione, temerè, ex sola quidlibet pro arbitrio comminiscendi libidine, ad eludendas duntaxat qualitercunq; Conciliorum & Patrûm Conclusiones excogitata est. Satis dixi: jaces cum Epicuro, nec ampliùs tolles caput. Tunc verò

(*k*) De Finibus.

verò his levibus interpretamentis, quæ communi verborum usurpationi, communi Ecclesiæ sensui repugnant, gravissima Patrûm Synodi Tridentinæ Decreta infringere, & quasi per insultationem ludibrio habere ausis? Christus dicit: *Dividite inter vos.* Lucas dicit: *Perseverabant in communicatione fractionis panis.* Tridentinum dicit: *Hoc Sacramentum esse Formam visibilem invisibilis gratiæ.* (*l*) Formam certè accidentalem non substantialem: habere partes, posse dividi, separationem partium fieri &c. Tu contrà balbutis: Hæc omnia non in sensu proprio, reali & objectivo dici, nõ à parte rei & in veritate, sed apparenter & ad speciẽ peragi. Penes te es tu? an mens peregrinatur? Hoccine Ecclesia fidelibus populis, sub anathematis interminatione religiosè credendum proposuisse credenda est? Quid est Scripturæ Sacræ & ipsius Christi locutionibus impudenter obtrectare? Quid est Sacratissimarum Ecclesiæ Sanctionum omnem sanum sensum & vim elidere? Quid est Divinæ Fidei veritates perridiculè elevare, & evanidas reddere velle, si hoc

(*l*) Sess: 13 Cap: 3.

hoc non est? Nihilne quod verè creatura panis dici possit in hoc Sacramento manebit? Non manet substantia, ut de fide est: non accidentia absoluta physicè talia, ut tibi tua sapientia dictat: actiones Divinæ vananitatem specierum obtrudentes, increatæ sunt. Unde igitur veram conversionem elicies, si nihil creaturæ quæ convertitur remanet? Nihilne terrenum habebit hoc Sacramentum? id enim in quod panis convertitur, cæleste & Divinum vocari convenit. Atqui hæresim hanc trabali clavô configit antiquissimus Ecclesiæ Doctor Irenæus publicè contestans *Eucharistiam ex duabus rebus constare terrena & cælesti.* (m) Secundùm te res terrena manet nulla. Ergo.

Tandem cùm asseris Deum in hoc Mysterio sensibus nostris imponere & fucum facere, imprimendo palato species panis & vini merè phantasticas, quæ in statu physico & reali sunt purum merum nihil & nihil; jam non modò tuus ille Sapientiæ tuæ Deus semper ridens Democritus ab insolenti cachinnatione sibi non temperabit; verùm & ipsi sapientissimi tui Do-

(m) Contra hæreses lib: 4; cap: 14.

Doctores Neutonus, Volfius, Leibnitius, tacitè apud se in sinu te sugillabunt ac exsibillabunt. Est quod tibi Roma gratulemur, inquient. Magnum mysteriorum Fidei Romanæ Doctorem & defensorem nacta es! Omnes quotquot Sacramentum altaris evertere conati sunt, hæreticos, iste unus, suæ novæ Philosophiæ principiis profligabit. Itanè tu in Ecclesia doces? ita hoc mysterium explicas? ita effata Conciliorum & Patrûm exponis? Itane Orthodoxam Juventutem informas, erudis, imbuis? eisq; hanc adulterinæ persvasionis fidem imprimis? O! Sapientissimum caput! Alius impotentior animi exclamaret fortè: o vacerrosum caput! Amicissime Musoni, non te ista perturbent, neq; os tuum rubore lædant. Non tangit te, neq; pulsat hæc figura sermonis, quem ego semper in corde, & in intimis meis foveo. Sed caput illud nescio quod, magnum certè & sex congios capiens fuisse oportuit, quod te, ad hanc sectam induxit, talisq; tibi Philosophiæ ideas injecit, quæ Deum ipsum tanquam fallaciarum Architectum, circumventorem, fascinatorem effingit: atq; per

 hoc,

hoc, Cardinalissimum Religionis Articulum, ostentui, opprobrationibus, conviciis, sibilis hæreticorum explodendum propinat.

Musonius. Christus apparuit Magdalenæ in specie olitoris: & Discipulis peregrinantibus, sub specie Peregrini: neq; tamen imposturam facere voluisse existimari potest. Ergo idem dicendum hic, dum species panis & vini sensibus objicit ad repræsentationem.

Minerv: Vanum effugium, à SS. Patribus pridem amputatum. Et longè dispar ratio. Primò enim videris mihi præjudiciis Epicureæ meditationis dementatus, vel non velle vel non posse intelligere attributiones corporis gloriosi. Mitto subtilitatem, quæ tanta est, ut Corpus gloriosum possit cum quibuslibet solidissimis corporibus se penetrare: nullaq; repagula, nulla marmora sibi esse impervia. Et hoc est, quod Epicureæ, æquè atq; Calvinianæ & Sacramentariorum Minervæ, aliter quàm per quantitatem, corporum essentiam concipere invalidæ, omne cerebrum excutit. Mitto hoc. Est insuper altera virtus transformationis, per quam

quam Corpus gloriosum potest se sistere aspectui, sub quacunq; libuerit facie & forma. Porro hæ dotes debebantur Corpori Christi à primordio conceptionis, cùm propter unionem cum Verbo; tùm propter gloriam animæ visione Dei perpetua perfruentis. Hic est illa D. Augustini Sententia. *Dominus transformare poterat Carnem suam, ut alia revera esset effigies ab illa, quam solebant illi intueri: sicut & ante passionem suam transformatus est in monte, ut Facies ejus claresceret sicut Sol.* (*n*) Id ipsum clarissimè D. Thomas. *Sicut in potestate Christi erat*, inquit, *ut Corpus suum videretur, vel non videretur; ita in potestate ejus erat, ut ex ejus aspectu formaretur in oculis intuentium hæc vel alia forma. Sufficitq; modica differentia ad hoc, ut aliquis videatur in aliena effigie appare-re.* (*o*) Quô positô, nihil in his apparitionibus phantasticum, nihil fictitium obrepsit. Sed, ut ait D. Gregorius, Christus veritate *talem se exhibuit in Corpore, qualis apud illos erat in mente* (*p*). Quid hinc ementitis tuis panis & vini speciebus fulci-

(*n*) De Consensu Evang: (*o*) 3tia Part: Qu: 55 Art: 4. (*p*) Hom: 23 in Evang:

fulciendis adminiculi extorquebis? nihil. Secundò. Si D. Augustino credimus, tantummodo factam fuisse à Christo permissionem, ut oculi eorum tenerentur usq; ad fractionem panis: ut intelligatur, unitate Corporis ejus participata removeri impedimentum inimici, ait Augustinus,(q) Subscribit D. Thomas. *Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis, à Satana factum fuisse. Unde Lucæ ultimò dicitur, quod oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent.* (r) Postremò. Hæc assimulatio personæ, non ad perpetim celandam, sed ad perbrevi tempore differendam agnitionem Christi referebatur, serviebatq; tanquam medium quô manifestiùs & opportuniùs Magister Discipulis innotesceret, illiq; mox vera & aperta Christi visione perfruerentur. Nulla verò par ratio militat pro fictione simulatarum panis & vini in Sacramento Eucharistiæ proprietatum, quibus Deus perpetuò sensus nostros luderet. Quinimò sicuti, ut ait Augustinus, *Si vel unum mendacium in Sacra Scriptura recipiatur, tota ejus*

(q) De Consensu Evang: (r) 3tia Part: Qu: 55. Art: 4.

ejus Auctoritas infirmabitur. (s) Quantò magis tota Veritas Divina periclitabitur, si supponamus Deum hoc in se recepisse officium, ut mendacibus specierum quasi præstigiis, omnem sensuum omnium humanorum applicationem in deceptione perenniter contineret. Non dedecet quidem Regem, interdum positâ Personâ, plebeium Codri habitum simulare causâ clandestinè explorandæ subditorum erga se animi sinceritatis, propensionis, fidei. Sed si idem faceret in Solio, dum pacificendis fœderibus, & pactionibus Sacramentô firmandis insistit; si tunc falleret, vel si in facie Reipublicæ pantonimicam ludificationem exercere vellet; hoc est, quòd projectam redderet, penitusq; profligatam Regiam Majestatem. Ita profectò, poterat Christus admodum paucis, & ad breve tempus, veritatem Personæ, ut non agnosceretur, occultare, quacunq; tandem libuerat ratione & modo: hoc enim nihil auctoritati Personæ derogat. Sed ex lege perpetua, ex testamentaria Constitutione & quodam quasi pacto, universim, ad omnes, & in omne tem-

(s) Epist: 19. ad Hieronymum.

tempus, ut se ad struendas indesinenter falsitates obstringat; hoc de Deo sentire absurdum est. *Sacramentum Veritatis nulla fictio decet.* ait D. Thomas. (*t*) Intellige bene, quid significare, quid te docere hîs verbîs voluit Angelicus? Istud nimirum: quòd ostentare meras inanias quantitatis specierumq; panis, tanquam rem veram, oculis fidelibus palpandam, omnibusq; sensibus experiundam, quæ tamen in esse rei nihil sit, præter phantasiæ nugamentum; æruscatoris ex fraudibus consuti character est, non Sacramenti veritatis Constitutoris Dei.

Muson. Concilium Tridentinum, id, quod post consecrationem remanet in Sacramento, vocat species: & hoc de fide est. Hoc ipsum nos asserimus. Ergo veritati Catholicæ consona est nostra Philosophia.

Minervinus. Concilium Romanum generale sub Joanne 23tio à Martino 5to approbatum, (*u*) Et brevi subsequens Concilium Æcumenicum Constantiense sub

(*t*) Opusc 3tio conta Armenos &c.
(*u*) Cochlæus, & Bellarminus.

sub Martino 5to (*x*) id quod remanet in Sacramento Altaris, definivit esse accidentia panis sine subjecto: & hoc de fide est. Ergo sententia, quæ negat dari accidentia vera physica, absoluta, extra mentem à subjectis separabilia, à veritate Catholica absona & abhorrens est. Ex tali depulsione enitescit vestri argumenti vanitas planè sophistica & puerilis. Ludit enim pueriliter in hoc æquivoco *species*: & à genere arguit ad differentiam, atq; adeò concludit merum nihil. Sed apta distinctione sophisma explodetur. Remanent species præstigiosæ, magicæ, quæ sint umbræ inanes & imagines merè phantasticæ decipiendis sensibus structæ; nego, pernego. Immane probrum est, hæc opinari de sanctione Sanctissimi Concilii Tridentini. Remanent species physicæ, objectivæ & reales, quæ in esse rei, omnium sensibilium proprietatum panis & vini quantitati inhærentium congeries sunt, sive formæ accidentales panis & vini, proprio subjecto spoliatæ, & à Deo solo una cum quantitate, virtute creatrice conservatæ: quæ in conversione Eucharistica ha-

(*x*) Valdensis & Bellarminus.

habentur adinstar subjecti permanentis utriq; conversionis termino communis: quæ verè frangi, dividi, gustari, palato sapere, deglutiri, in ventriculum demitti, concoqui, atq; etiam hominem vice substantiæ nutrire, inebriare, si in majore copiâ sumantur, & per alterationem contrariarum qualitatum corrumpi possunt, ut docet D. Thomas (y) concedo, ac dico. Formas sive substantiales, sive accidentales rectè vocari species. Et de substantialibus quidem, vel fortè generaliter de utrisq; pronuntiat D. Augustinus. *Cùm per formam corpus subsistat; nullum corpus fit nisi accipiendo speciem per formam. Tradunt ergo speciem à summa pulchritudine acceptam superiora infirmioribus: eoq; sunt, in quantū sunt, quòd species eis quasi à potentioribus traditur.* (z) Ratio est. Cùm enim materia prima definitur esse id, quod est aptum determinari ad certam speciem, infert D. Thomas quòd *materia recipit formam, ut secundùm ipsam constituatur in esse alicujus speciei.* (a) De accidentalibus verò

(y) 3tia parte Qu: 77, Art: 4 & 5. (z) De Immortalitte animæ cap: 15. & 16. (a) 1ma Parte Qu: 50. Art: 2dò.

verò formis ita idē Angelicus: *Sicut materia per formam contrahitur ad determinatam speciem; ita substantia alicujus speciei per adveniens ei accidens, contrahitur ad determinatum modum essendi, ut homo contrahitur per album.* (b) Et cùm secundùm eundem S. Doctorem, *forma substantialis cum forma accidentali conveniat in hoc, quod utraq; est actus & secundùm utramq; est aliquid quodammodo in actu.* (c) Sequitur, quòd etiam forma accidentalis tribuat speciem rei, cujus est forma. *Unumquodq; enim habet speciem à sua forma* ait D. Thomas (d) Scilicet totum accidentale à formis accidentalibus, & totum substantiale à forma substantiali. His speciebus physicis & realibus, opponuntur species intentionales, quæ solùm in intellectu habent suum esse, & extra mentem nihil sunt. Et hæ varias habent causas. Interdum ab ipsis objectis proficiscuntur, & per sensus veniunt in animum: interdum ipsa anima sibi fabricat ejusmodi ideas: interdum boni vel mali genii talium phantasmatum structores sunt.

(b) 1. Parte Qu: 44. Art: 2. in Corp: (c) 1. Parte. Qu: 77. Art: 6. (d) 1 2 Qu: 82. art: 3.

sunt. Jam quæritur de sensu genuino & dogmatico Tridentini: quid nomine specierum intelligit? talesne species, quas deceptores etiam & maligni Spiritus solent sensibus humanis repræsentare ac ingenerare? & quas D. Thomas Magis atq; Incantatoribus attribuit? Absit, ut Omnipotentiā Dei ad ejusmodi fucosas illusiones, sensuumq; fascina procreanda, stringamus, ob futilissimas, & plumâ leviores ratiunculas. Absit ut Sacrosanctum Religionis Comitium de hujusmodi specierum inaniis, vel per somnium cogitaverit, quæ in nullo rectè disposito intellectu, præterquam in cerebrosis Epicureæ Minervæ incantamentis sedem inveniunt. Intelligit igitur Sancta Synodus species physicas & reales, quas exhibent formæ physicæ accidentales: vg. forma albedinis, speciem albi. Equidem in Sacramento Altaris nullatenus remanet forma substantialis panis: & quisquis contrarium sentit, anathema est. Nihilominus eadem Synodus, quæ anathema dicit formam substantialem adstruentibus; id quod remanet in Sacramento, vocat *formam visibilem*. Si forma visibilis est?

igitur physica & realis: implicat enim objectum potentiæ visivæ non esse physicum & reale. Si physica, realis, & non substantialis est? igitur accidentalis. Si accidentalis est? igitur & species quas inducit talis forma respondent formæ: proinde accidentales sunt, sive accidentia physica & realia, utpote effectus formæ physicæ & realis. Hic verò suspicere licet admirandam Constantiensis & Tridentini Conciliorum, circa res Fidei definiendas, consensionem. Quod enim Constantienses Patres, in damnatione Vielefi & Hussi hæresiarcharum, vocant accidentia panis sine subjecto; id ipsum Patres Tridentini, damnando omnes Sacramentarios, & ipsis colludentes novæ Philosophiæ Doctores, vocant formam accidentalem panis sine substantia panis. Sentisne Musoni, ut illud Sophisma tuum solidè excussum, in auras difflatum abiit?

Musonius. Nulla ratio, nulla auctoritas evidenter demonstrat species illas, esse accidentia panis & vini physica & absoluta, extra mentem, sine subjecto realiter existentia.

Minervinus. Insanias loqueris, quas olim Joannes Huss, Hussitarum, Calixtinorum, Thaboritarum orciniana fax, ore incendiario evomuit. Quid enim ille? *Securè denuntio, quod non possim declarare neq; intelligere accidens sine subjecto?* Quid 2dò ille? *Fingere accidens sine subjecto, est blasphemare in Deum, & illudere Ecclesiæ per verba accidentis.* Quid 3tiò ille? *Non est determinatio Ecclesiæ, quod accidentia sint in Sacramento Altaris, sine subjecto.* (*e*) Theses istæ non omnimodè germanissimum Thesi tuæ sensum & judicium præseferunt? ilicet evidenter. Atqui à Concilio Constantiensi Sess: 15. unà cum auctore, ad rogum damnatæ sunt. Ergo & hæc, quam proposuisti, assertio, non minùs temeraria, non minùs effrons, pari publica luce dignissima est. Data satisfactione, ut contentus esse velis, ex animo tibi sincerus persvadendi artifex sum. Quid enim in contra hiscere poteris? Prima Hussi propositio negat assignari posse evidentem rationem, quæ demonstret & declaret, dari accidentia sine subjecto realia, physica & ab-

(*e*) Cochlæus Hist: Hussit:

& absoluta extra mentem. Extra mentem inquam: neq; enim tam amens fuit ille, ut phantasmatum structiones à cerebro humano sustulerit, in quo chimærarum etiam monstra effingi stabulariq; possunt, nedum falso parentia accidentium simulamina. Non ergo vel Maignani, vel Gassendi vel Epicuri accidentia, Hussitanam intelligentiæ vim effugere poterant, ut ea negaret esse intelligibilia, illisq; refragaretur; sed accidentia Peripatetica, à Divo Augustino, (*f*) à Divo Thoma, cæterisq; Orthodoxis Doctoribus, longè antè propugnata, atq; per omnes Scholas & Exedras Theologicas (Epicuro interim in oblivionis barathrum projecto graveolentia corpuscula nequicquam exspirante) latissimè propagata, cerebrum ipsi excusserunt. Secunda propositio Omnipotentiæ Dei obtrectat, blasphemiæ coarguendo eum, qui affirmaret

I Deum

(*f*) Tom: 1mo Lib: Cathegor. Et de Trinit: L. 5. c. 4 In rebus creatis quod non secundùm substantiam dicitur, restat ut secundùm accidens dicatur. Omnia enim accidunt eis, quæ vel minui, vel amitti possunt: ut qualitates, magnitudines, & quod dicitur ad aliquid.

Deum posse conservare in esse rei accidentia physica sine subjecto. Et cum affirmatio Angelici Magistri sententia sit; tanto Ecclesiæ Doctori fanaticus nebulo hanc alapam infligere studuit. Tertia auctoritatem Ecclesiæ definitivam circa accidentia Eucharistica inficiatur. Tu quomodo te ab hac execranda impietate distingues? Nullus video. Ipsissima enim istius blateronis dogmata, quasi ex ore ejus accepta tua dicta sapiunt. Sed ego Orthodoxum te esse philosophum minimè ambigo. Credas proinde oportet, justissimum fuisse Concilii Æcumenici Decretum, quô ignibus cremandas addixit, inter plurimas alias, Hussi, tres memoratas propositiones, ut perniciosas, ut blasphemas, ut insanas, ut sacrilegas, ut hæreticas. Infero: Ergo contradictoriæ assertiones, veritatis Fidei Divinæ Oracula sunt: nimirum: tàm ex evidenti ratione, quàm ex determinatione Ecclesiæ constare, quòd Accidentia in Sacramento Altaris physica, absoluta & realia maneant sine subjecto: & quisquis contrà latraverit, impietatis in Deum reus esse convincitur.

Adhuc

Adhuc ne authoritas celeberrimæ Synodi Constantiensis, tuam plenè perpacare Minervam non poterit? Quô igitur locô habebis Romanæ Ecclesiæ auctoritatem longè antiquissimam, Divo Thomæ coævam, Constantiensium Patrûm Magistram & Præceptricem? aut quibus illam fallaciis dissolves? Urbano 5to Pontifice regnante, instituta est octiduana celebritas annuatim obeundi Solemnissimo cultu Sacrosanctum Eucharistiæ Mysterium: Officii Divini componendi opus demandatum est Angelico Doctori: Doctor Angelicus tale Syntagma Horarum Canonicarum conscripsit, quod, ab universo Purpuratorum Patrûm Senatu & à Summo Pontifice laudatum probatumq; toti Ecclesiæ, pro concinendis Divinis laudibus, impositô præceptô, denuntiatum est. Quid ibi, sivè dum alternis choris Religioso concentu Horæ Matutinæ peraguntur; sive dum summissa recitatione persolvendæ veniunt; quid Lectione 5ta vel decantari audis, vel ipsemet oculis perlustras? *Diviso Sacramento, sub qualibet divisionis particula integer Christus perseverat. Accidentia autem sine subjecto, in eodem subsistunt.*

sistunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur; & sensus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis. Quid judicas? putasne dictis verbis non satis perspicuè dilucidatam esse Fidei Doctrinam à sede Apostolica probatam, nisi Epicurus hactenus nulli Scholæ, nullis Doctoribus, nulli sapienti citrà aspernationem aversationemq; cognitus, intelligentiæ lumen suppeditaverit? Dic amabo quâ mente? quâ religione? qua fide? quô pietatis gustu comparatus es, dum istud Sacerdotale pensum Deo in altari præsenti reddis? Epicurea corpuscula Te forte meditantem circumvolitant? & animus his infuscatus, limpidissimo verborum sensui intercedit? ut nodum in scirpo quæras, Ecclesiasticæq; precationi tacitus oggannias? ac ubi tam liquidè expositæ Catholicæ Doctrinæ Cor & caput reverenter submittendum est, tu quod profiteris oratione, negas credi oportere ratione; in Templo quasi Peripateticus, in Schola Epicurus. Hoc boni Diviniq; Philosophi non faciunt, sed quibus nulla fides, nulla veritas cordi est, circumforanei agyrtæ.

At enim rationem à me eamq; evidentem efflagitas. Sufficit quidem ad hoc, ut Tibi audax os lædatur, Concilii Lateranensis 5ti pronuntiatio. *Cùm verum vero non repugnet; omnem assertionem Fidei contrariam, falsam esse definimus:* atqui omnis assertio, quæ contra Accidentia Physica realia & absoluta militat, ne dum communi Ecclesiæ sensui, verùm & veritati Divinæ Fidei contraria esse convincitur; ut Tibi toties jam ad oculum deduxi; ergo repugnat vero, ergo falsa & vanissima est: neq; digna, quæ otia Doctorum disputando conterere valeat, ut ait Augustinus. (g) Sed luculentius argumentum suggerunt mihi verba Angelici Magistri: *ut sensus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis.* Hinc Te sic adorior. Evidens naturaliter est, id quod omnibus sensibus nostris attingimus, & constanter experimur, debere esse aliquid Physicum & reale, ut sensus à deceptione reddantur immunes, alias si hoc non sit evidens; pariter in rerum Natura nihil evidens erit: & nullum judicium ex testimonio sensuum

(g) ad Dioscorum.

poterit esse certum. Ergo evidens naturaliter est, in Eucharistia esse aliquid Physicum & reale, quod prius erat in pane & vino. Sed hoc non aliud esse potest, quàm accidentia Physica & absoluta. Ergo.

Musonius. Accidentia absoluta sine subjecto, extra mentem, videntur Divinitus repugnare.

Minervinus. Idem est, acsi diceres: Neq; per absolutam Dei potentiam fieri potest, ut accidentia Physica & realia maneant sine subjecto. Miseret me Tui, super cujus hallucinationibus condolens, exclamare cogor cum Divo Augustino. *Ecce qualibus argumentis Omnipotentiæ DEI contradicit humana infirmitas, quam possidet vanitas!* (*h*) Stat contrà, & inimicam in Te vertit manum Angelicus Doctor. *Accidentia*, inquit, *in hoc Sacramento manent sine subjecto: quod quidem virtute Divina fieri potest. Cùm enim effectus magis dependeat à causa prima, quàm à causa secunda; DEUS qui est prima causa Substantiæ & Accidentis, per suam infinitam virtutem, conservare potest in esse accidens, subtractâ substantiâ.* (*i*) Quid expressius? quid illustrius? quid adversùm Te ratione validius urgeri potuit? Et ne ingenium Tuum phantasticis impressionibus dementatum, vel iniquissimè in suam sententiam detorquere ausit Divum Thomam; occurrit hæsitationibus Tuis, dicens: *Species illæ quæ sensibus apparent in Sacramento, non sunt solùm in phantasia videntium, sicut solet esse in præstigiis artis magicæ. Quia veritatis Sacramentum nulla fictio decet.* (*k*) Nunc ipse decerne: cui fides? cui sanioris Philosophiæ gloria? cui majus rationum pondus? major auctoritatis dignitas? cui veritatis triumphus adjudicandus est? Tibi-ne cum universo Epicuri grege ejusdem commenta balbutienti? an illi Doctori Ecclesiæ, qui oraculô Pontificiô, quot in Summa Theologica articulos scripsit, tot miracula edidit.

Tam prævalidô mucrone jam quidem ad mortem adactus es. Ego nihilominus officiosi honoris ergò, plausibilissima distinctione Te ad ultimum absolvam. Accidentia absoluta sine subjecto, extra

(*h*) de Civit: DEI L. 22. c. 11.

(*i*) 3. part: q. 77 a. 1. in Corp.
(*k*) Opusc: 3. c. 8.

extra mentem, Divinitus repugnant. Repugnant, inquam, extra mentem diminutæ mentis argutatorum; hac in parte prolixè Tibi subscribam. Repugnant extra mentem integra mente præstantium veræ Sapientiæ Doctorum; hanc partem qui Tibi concesserit, neminem bene sanum invenies.

Theophrastus. Tali responsione, etiam contumeliam Adversario facis.

Minerv. Nullam & nullam. Quis enim Hæreticus non diminutæ mentis est? Ego verò Epicureæ Scholæ, Viclefianam, Lollardistarum, Hussitanam Hæresim objicio.

Theophrastus. Nihil facilius, quàm ut absurdissima quæque objectare temere præsumas; sed ut doctissimum Collegam erroris in fide coarguas, id Tibi ne attentare quidem, citrà manifestam impudentiæ censuram fas est. Vereor Ego, ne in criminationibus jaciendis, quàm nimis audaculus es; tam in probationibus turpissimè succumbas.

Minervinus. Mitte hanc formidinem optime Theophraste. Tam enim evidenti ratione, quod demonstrandum su-

scepi,

scepi, enucleabo, quasi rem oculis compertam teneres. Non me in argumentando: Sed presse rem colligo. A Concilio generali Romano, & Constantiensi Sessione 8ta, Hæreseos damnata est hæc Vicleffi propositio: *Accidentia panis & vini in Sacramento Altaris non manent sine subjecto*; ergo etiam damnata & hæc: Accidentia realia absoluta sine subjecto Divinitus repugnant. Si enim falsitatis & erroris coarguitur negata realis accidentium sine subjecto existentia; à potiori profligatur & damnatur negata eorundem possibilitas. Si hæresim certum est redolere particulare consequens; hæresim exhalare certum est, universale Antecedens, ex quo tam insalubris enatat consequentia. Porro Viclesfus, teste Thoma Valdensi errorum Vicleffi acerrimo impugnatore (*l*) ideo negabat Accidentia realia & absoluta sine subjecto, quòd ea crederet Divinitus repugnare. Sic enim ratiocinabatur. *Quàm impossibile est idem simul esse & non esse; tam impossibile est Accidens permanere sine subjecto.* Unde inferebat Accidentia panis in Sacramento non

(*l*) Valdensis de Sacram Euchar: c. 78.

non manere sine subjecto. Catholica veritas Decretis Conciliorum stabilita, ut contradictoria est particulari consequenti; sic & universali Antecedenti. Ex quo sic concludo.

De Fide est, Accidentia Physica & absoluta extra mentem sine subjecto Divinitus non repugnare: quia de Fide est, eadem Accidentia in Sacramento Altaris Divinitùs, sine subjecto, realiter existere.

Ergo quæ his contrapugnat assertio, Hæretica thesis est, pestilentis doctrinæ veneficiô infamis.

Capis? Musoni. Demonstratio clarissima est, stultividis etiam palpebris conspicua. Quid in Tui defensionem solidum objicies? non video. Dubium quidem non est, non defore Tibi latebras & vulpina effugia. Jam Tu fortè Vicleffum creabis Atomistam, eumq; cum Maignano & Gassendo committes duellaturum: aut disjunctivis positionibus, quas nec somniavit ille, captiosè & lepidè digladiantem induces. Sed hæc, aliaq; tam ridiculosissima & vana sunt, ut aliam solutionem non mereantur, præter salsam dissimulatiam, & jocum à Cicerone appositum: *Hæc tota res ficta pueriliter est.* Mit-

Mitto Joannis Huss delirationem, pari execratione ac eodem Concilio flammis & cineribus devotam, cinerésq; in præterfluentem Rhenum explosos. Hæc deliratio talis fuit. *Fingere Accidens sine subjecto, est blasphemare in Deum, & illudere Ecclesiæ per verba Accidentis.* (m) Cum quâ, dum in omni cogitabili sensû, omnimodè concinit & conspirat vestra propositio; eodem damnationis busto ut cinefacta dispereat, nihil justius est. Quid enim? aquis flammisq; perniciabilis Philosophiæ plectuntur. Aquiliferi? Isti verò, qui eandem pestem refodiunt, eandemq; virulentam crambem recoquunt, in damnatorium judicium non cadent?

Aude nunc Musoni, & rectam rationem ducem oppone. Poterisne aliquẽ, nisi fortè arietinæ mentis hominem inducere, ut credat rectam esse, quæ vos in tam vorticosos hiatus cæca cæcos præcipites agit? Ducem quidem rationem habetis, sed quæ Coclitis instar unô stat lumine captô: quæ scilicet lusca, quæ monocula sit: quantum arcanorum naturæ scrutandorum curiosa, tantùm Auctoris natu-

(m) Cochlæus Hist: Hussit.

naturæ Divinorumq; cæca: ideoq; à propugnandis Fidei Mysteriis aliena, rudis, inimica, & noxia, velut talpa est.

Hìc mihi excutienda venit Antonii Genuensis, quem Tu Musoni quasi Magistrum allegâsti, oratio. Num arrogantior, an prudentiæ derogantior sit? Inflatæ inanitatis, an supercilii major? Recta ratione duce utimur, inquit. Quodsi hæc libertas Religioni nocet? recta ratio religioni adversabitur. Quid aliud Nestorius? quid Calvinus? quid Arabes? in defensionem errorum suorum venditabant? Nulla pertinacium opinatorum tam absurda excogitatio est, quæ splendidum rectæ rationis vocabulum non obtendat. Quis enimvero Sapientûm rectam rationem vobis ducem attribuit? Si Epicureos demas secum coniscantes, nullus. Quin potiùs omnes sublimiores exedræ, omnia disceptatricis Minervæ fora, clamitant vos à strata & Regia recti veriq; orbita abhorrentes, perniciosè in avia, in prærupta ruere. Recta, inquit, ratio religioni adversabitur: quô nihil magìs impium dici potest. Hoc Tibi perverse Sophista cumprimìs demonstrandum erat, rationem Tuam

Tuam nullatenus religioni officere, tunc fortè non ineptè concludere posses rectam esse. Etsi enim ex eo, quòd aliqua propositio, non sit religioni contraria, non sequitur eam veram esse, non falsam, non incredibilem, non ridiculam; tamen ut aliqua propositio censeatur esse à veritate non aliena, non prava, non fucata, non spuria, sed sincera & recta, necesse est, ut religionem contra non pugnet. Quæcunq; enim à prima & summa veritate fædissimè desciscere noscuntur ingenia, non philosophantium recta judicia sunt, attestante Cicerone; sed *somnia delirantium.* (*n*) Et veritati Divinæ revelatæ quomodocunq; se se opponens ratio, non ratio est, sed quædam crebrescentium deliriorum risu digna aucupatio. Quam, nisi bene & naviter impudens sit, audebit rectam nemo dicere: nemo dicenti assentari, qui à sanitate mentis, fuerit non plenè deturbatus. Quarè argumentum in Te verto, & tuo Te mucrone conficio. Religioni adversari nequit recta ratio. Infero. Ergo quæ religioni infesta est, recta dici & esse nequit. Atqui ratium

(*n*) Cic; de Natur: Deor: lib: 1.

tiunculæ vestræ religioni infestæ sunt, quia definitiones Conciliorum enervant, consensioni Patrum contraveniunt, communi Doctorum sensui repugnant, Ergo. Item: Recta ratio adeo non despuit sententias & responsa nobilissimorum in Scientia Naturali Speculatorum, eorum præcipuè, qui Christianæ Philosophiæ Scholasticâ methodô pertractandæ Principes ac duces exstitêre, ut ex eorum præjudicata auctoritate, suam vim, suum pondus, suum præcipuum robur & præsidium accipiat: tantòq; in depugnando laccertosior est, quantò plurimorum Sapientiæ Procerum centuriatis Comitîs vincit. Vestra ratio (si novos homines excipias) ab omni Literarii Senatûs suffragatione deserta & nuda est. Quis igitur rectè sentiens, eam rectam probatamq; ausit appellare? Tandem recta ratio si non certa & evidens, saltem probabilissima sit oportet: sit cogens, sit robusta: sit, quæ Sapientûm animos communiter permoveat. *Probabile enim est*, dicit Philosophus, *quod probatur vel omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, hisq; vel omnibus, vel pluribus vel maximè illustribus.* (o) Quos verò Tu mihi produces vestræ rationis assensores maximè illustres? Nevtonum? Leibnicium? & cætera probra ac dedecora Nominis Christiani? Ego reprehensores mille statuam: ac imprimìs D. Augustinum & D. Thomam. Futiliter itaq; infirmitatem claudicantis judicii, prætensô rectæ rationis colore obducitis.

Theophrastus. Multùm nimis temporis consumpsit altercatio vestra. Jam hora prandendi imminet: jamq; convenerunt, qui me fortè visere & salutare volent: quos me oportet prævenire, utpote qui istius loci antiquus hospes sum: illi novi veniunt. Tuam Minervinæ discептandi rationem, probare non possum: nimis fero corde es, pacatæ concertationis indocilis. Tanquam enim ferreus Ajax, omnem humanitatem perosus, vulneribus cædes, cædibus contumelias aggeris. Religiosæ moderationis, modestiæ, lenitatis, amicitiæ: Musonius, quanquam multipliciter à Te pestrictus, & morsibûs laceratus, Te admonet, illudq; Tibi Eminentissimi Nostri Cardinalis Bellarmi-

(o) Libr: 1mo Topicorum.

larmini Axioma vel tacitus inculcat: *melior est uncia charitatis, quàm libra victoriæ.* Si paulò indulgentius, non tam petulante lingua rem gessisses, ex hâc Disputatione lauream reportâsses. Nunc verò quantùm invidiæ Tibi comparâsti, si scire cupis? dicam cum Ovidio:

Odimus accipitrem, quia semper vivit in armis.

Minerv: Ego verò neutiquam illis de Sapientia vel minimum derogo. Quin imo hâc ipsos macto laude: Si hac tempestate oracula ederet Deus ille Ethnicorum Apollo Delphicus, qui Socratem præ reliquis mortalibus Sapientissimum nominavit; Epicureos ille Philosophos supra omnes Doctores, supra Divum Thomam & Augustinum longè Sapientiores proclamaret.

Theophr: Desine nugari, à magno Dæmoniorum Principe commodatum præconium, pejus omnibus conviciis est. Superest adhuc difficilis ad discutiendum quæstio de quantitate Corporis Christi in Eucharistia. Sed hanc in alium diem, qui se proximior offeret, differamus. Nam à meridie, amæniores ludi, variæq; animi oble-

oblectationes vos sibi vendicabunt.

Minervinus. Da precibus meis Theophraste, ut Ego isti nostro consessui clausulam imponam.

Theophr: Ut aliquid consideratione dignum proferas, non credo. Sed ne conceptum mente & indictum verbum Te discruciet, ac disrumpat, loquere.

Minerv: Abeat igitur sua cum Thrasonica Oratione Antonius Genuensis, qui non minùs insulsè, nec minùs incallidè pro Religione causam agit, quàm ageret quispiam fanaticorum Rabula Genevensis.

Necdum finitô colloquiô, signum silentii, secuturæq; brevì mensæ, ære campano datum est. Lapsô dein horæ quadrante, quem Ego mutuis hospitum consalutationibus impendere debui, repetitum æs canorum concrepuit: quæ erat Nostrûm omnium ad Triclinium Epulumq; invitatio.



DISCUSSIO III.

Continuatur idem Argumentum.



Ecurrente feriato à ſtudiis die Cæliq; apricâ vernante clementia, Tuſculum meum iterum frequentiâ Sociorum refloruit. Totum enim literarium Collegium, unà cum Rectore, ad Suburbanas meæ Solitudinis delicias contulit ſe. Hortenſis porro commorationis Regulæ ſunt, quæ Religioſæ conſvetu-

ſvetudini ſerviant. Servatur diſtributi ordo temporis & actionum. Viribus animi corporisq; recreandis, juſtum indulgetur ſpatium. Verùm ubi jam in altum Sol provectus umbras contrahit, & ad ſtativa contendit; reſpiratur à ludo, daturq; interſtitium hominis interioris ſtatum introſpiciendi: quem unusquisq; ſemotus ab aliis, perquiſitiùs excutit, exigitq; rigidam à ſe dictorum factorumvè rationem. Succedit deinde meridiana refectio, lautiore nonnihil opſonio apparata; quæ tamen frugalitatis modum non egreditur. Hâc finitâ, ad congreſſum colloquiumq; deſcenditur. Nulla ibi rerum curioſarum aut leviorum tractatio: ſed unus ex Patribus quæſtionem injicit ad profectum in Spiritu, virtutumq; ſolidarum exercitium conducibilem: quam per ordinem proſequuntur alii: & quidquid vel meditando, vel ſacras hiſtorias, Aſcetarumq; libellos pervolutando didicerunt, in medium conferunt. Crederes Te Caſſiani Collationibus intereſſe. Lapſam collocutionis horam, excipit hora ſilentii: quæ conceditur tum quieti capeſſendæ, tum Canoni-

cis horis persolvendis, aut Corollæ Rosariæ Virgini Dei Matri texendæ. Liberum interea est solitariam ambulatiunculam facere, contemplari florum viridaria; vineæ luxuriantes visitare pampinos: in fructum erumpentes novellas arbusculas, plantarumq; areolas hìc in cubum metatas, in quincuncem alibi, perlustrare. Fontium deniq; derivatis canalibus ubertim in Cælum salientium spectaculô frui. Mox vocale signum auditur: post quod licet cuilibet manum ad varia ludorum genera mittere, quibus se vacantes pro libitu distineant.

Meis Philosophis Minervino & Musonio, non ad ludicra exercenda, sed ad præliarem ingenii velitationem animus incaluit. Quarè, conveniunt me, & ut eorum conflictui Disceptator adesse velim, obligant. Arreptôq;, qui fortè ante oculos erat, Pallavicini libellô, ducunt in locum à tumultu & arbitris remotiorem. In occursu luci labyrinthei, circus erat non magnæ amplitudinis, surgentibus in orbem umbrosis tiliis septus, intrò gramineo cespite in modum lunæ porrecti tori, hospitem ad commodam

dam accubationem invitabant. In medio posita mensa marmorea, in qua, dubitares artis an Naturæ penicillô, lateruncularia tabula perbellè expicta observabatur. Sub hoc umbraculum postquàm concessimus, auspicium dicendi mihi deferunt.

Theophr. Nudius Sextus, intentatam reliquimus de quantitate sive extensione corporis Christi Eucharistici opinionem: hæc igitur in aciem prima veniat. Quæ tua sententia in hoc puncto sit Musoni? dic, libens audiam.

Musonius. Dico. Non esse omnino inextensum. Non omnem quidem habet suam extensionem Eucharisticum Christi Corpus: non omni tamen sua extensione spoliatur. Qui oppositum sentiunt, genuinas corporis & Spiritûs notiones confundunt.

Minervinus. Ego verò oppositum fortissimè sustineo. Nam oppositum tueri, à Divo Thoma Catholicè edoctus sum. Cui Tu ore maledico palmam in faciem incutis: asserens Angelicum Doctorem genuinas Corporis & Spiritûs notiones per inscientiam confudisse. Siquidem

dem liquidissimè docet Divus Thomas, extensionem quantitatis distinctam & separabilem esse à corpore: manereq; in Sacramento Eucharistiæ Physicam & realem extensionem panis, inanem substantiæ & corporis. (*p*) Ergo per Te, genuinas corporis & Spiritûs notiones confundit? Quid Tu audes Angelicæ Doctrinæ hanc indignitatem aspergere?

Theophr: Jam Tu non modicè delirare incipis Minervine: qui Religiosum Socium, Fratrem & Collegam, tam asperè, & hostiliter exceperis. Non Tu Musonium, sed ipsius charitatis viscera commordisti. Comprime hanc ferociam. Ignoras quid à Te postulat necessitudinis Fraternæ Sanctitas? nempe ut modestè, pacificè, tranquillè, repudiatis omnibus morsiunculis, non studiô contentionis, sed veritatis: non plaustris contumeliarum, sed rationum nervîs, servato semper illæso arctissimæ conjunctionis affectu, dimicetis.

Minerv: Parce commotiunculæ meæ dulcissime Musoni. Ego verò Te semper in oculis meis fero; amorisq; nostri, teneri-

(*p*) 3tia parte quæst: 77. art: 2.

neritudinis & unionis vinculum neq; mors dissolvet. Sed hypothesis à te posita hanc in me sufflavit bilem. Assertioni Tuæ non Tibi offensus fui. Id enimverò quàm jure & meritò; Ipse brevì agnosces probabisq;. Ajo sententiam, quam jecisti, pugnare cum veritatibus Fidei, & cum recta ratione.

Muson: Ais Tu quidem, & si Urbes verbis expugnari possent, jam Victor evasisti. Sed ubi res manu gerenda erit, nec, si Te ruperis, pertendes id, quod aìs.

Minerv: Audi patienter, & mox abjectis armis, dabis ultro vinciendas manus. Recta ratio dictat indivisibile quantitatis, non esse divisibile quantitativè. Sed de Fide est corpus Christi Eucharistici esse indivisibile quantitativè; quia per Canonem Tridentini, est totum sub singulis Sacramenti partibus (*q*) *quod quidem est contra rationem Ejus, quod dividitur*. Scilicet quantitativè ait D. Thomas (*r*) Si autem non sit omnino inextensum, non est omnino indivisibile; quia dicit D. Thomas: *Divisio accidit substãtiæ ratione quãtitatis.* (*s*)

Omne

(*q*) Seß: 13. Can: 3. (*r*) 4. parte q 77. a. 7.
(*s*) Ibidem Art: 2.

Omne enim quantum extensum necessariò constat partibus; adeoq; divisionis in minutissima corpuscula expers esse non potest. Ergo.

Item: id quod virtute Verborum Consecrationis ponitur sub Accidentibus panis & vini, est illud ipsum corpus Christi quò ad totam substantiam; quod fuit in Cruce extensum, & quod est gloriosum in Cælo. Sed non ponitur ex vi Sacramenti, secundum quod in longum & latum porrigitur, sed quatenus discernitur ab omni eo, quod divisioni subest, quia ponitur solùm secundùm substantiam, & non secundùm ea, quæ substantiam circumstant; porro *natura substantiæ est tota in toto, & tota in qualibet parte:* dicit D. Thomas (*t*) *cui divisio accidit ratione quantitatis:* ait idem. (*u*) Unde sequitur, quod quantitas dimensiva nullatenus componit rationem substantiæ, sed est substantiâ posterius accidens, determinans rei modum essendi sub divisionibus; & nisi res ita esset; tum falsa esset veritas Fidei Divinæ: Christum totum contineri sub

(*t*) 3. parte q. 76. a. 4to. (*u*) Ibidem q. 77. a. 2.

sub orbe hostiæ Sacræ, & totum sub singulis hostiæ particulis. Falsum etiam esset id, quod canit Ecclesia: *à sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur.* Ergo ex toto falsa, improbabilis, incredibilis est assertio Tua.

Item. Fide Divina credendum est, ut jam probavi, corpus Christi in Eucharistia, verum & integrum, contineri citra ullam extensionem. Tu negas possibile esse corpus inextensum. Ergo negas possibilem esse veram realem existentiam corporis Christi in Eucharistia.

Tandem. Vester Novæ Philosophiæ Inventor, & Architectus, Renatus de Chartes ponit tale principium: *Fieri non potest, ut minimum quid ex quantitate, aut extensione tollatur, quin tantumdem etiam de substantia subtrahatur.* (*x*) Et id quidem, dato, quòd extensio sit de essentia corporis, verissimum & evidens est. Ex quo sic opprimo Te.

Si quantitas extensiva est de substantia corporis; tota Magnitudo Staturæ Christi est de substantia Totius corporis Christi: O quantùm adimes de mensura corpo-

(*x*) 2. parte princip. n. 7.

corporis; tantundem de substantia surripuisti. Atqui secundùm Te, non omnem suam extensionem habet Christus Eucharisticus; neq; totam illam, quam habuit in Cruce, & quam habet nunc in Cælo, sed tantillam, modicissimam, & minutulam. Ergo non totus quò ad substantiam corporis, Christus continetur sub speciebus Sacramenti. Hoc non dicere modò, sed vel cogitare nefandum est; ergo & id, ex quo sequitur.

Quem Te esse dicam Musoni? Neq; Tu cum Carthesio sentis; neq; cum Orthodoxis Doctoribus; neq; Thomista es, neq; ex asse Atomista. Quid ergo es? neutrum oles. Et hoc est nulli certo, & minimè suspecto, cui tutò Te committas, duci credere; præterquàm suæ solius sui Minervæ. Hoc est in articulis Fidei sustinendis & explicandis Philosophum Libertinum esse.

Muson: Nulla ratione intelligi, nullo actu phantasiæ attingi potest corpus sine trina extensione.

Minerv: Subtilissima cogitatiuncula, & idcirco tenuissima, quæ simplici negatione confringitur & dissipatur; sup-

ponit

ponit enim essentias rerum & substantias corporeas, esse immediata per se objecta phantasiæ, quam communem habemus cum brutis, & sensuum: Quod falsissimum est. Sed respectus ad reverentiam Personæ cogit me, ut Te condigna distinctione contentum reddam, quietumq; faciam. Corpus sine trina extensione nullatenus intelligi potest, ab his, quorum oculi mentis pulvisculis Epicuri oppleti sunt; concedo. Ab his, quorum lumina à turbine corpusculorum pura, profundè & acutùm cernunt, ut sunt Divi Thomæ omniumq; Orthodoxorum Doctorum. Nego. Ratio distinctionis ex allatis jam argumentis patet.

Theophr: Temperate tandem ab ejusmodi litigiis, quæ vos ad rem nunquam perducent. Neq; enim istos bonos Viros, quorum spartam sustinet Musonius, aliæ ex aliis argutiolæ destituent, quibus, captæ anguillæ instar evadere satagent. Non ut aliquando è scopulis, in portum veritatis emergant; sed ut largâ copiâ fandi, & linguæ leviore armaturâ superiores esse videantur. Ut tandem fine bono & utili terminetur vestra con-

ten-

tentio, conclusionis partes mihi concedite. Perperam dixi. Non mihi, sed magis Angelico Doctori. Catholicam enim circa hoc Mysterium doctrinam, quam probi prudentesq; Philosophi non tenere modò, sed indemnem illæsamq; ab impugnatoribus tutari debent, nemo, quod sciam, enucleatiùs, uberiùs, subtiliùs, nemo limpidiùs enodavit, ut ille. Quam non immeritò disertissimis verbis Salvator Mundi Ipse collaudavit, pronuntiavitq; *tam Sanctam & bonam esse, quantùm intellectus humanus possit comprehendere.* (y)

Duo tanquam certa & indubitata ponit Divus Thomas. Primum: Substantias

(y) S. Thomas Completo Officio corporis Christi, quod de mandato Domini Papæ ordinavit Librum super Altare posuit: & ipso orante, Christus in forma pueri posuit se super librum, dicens: Quòd illa ordinatio erat Sancta & bona, quantùm Intellectus humanus possit comprehendere. Item cùm scripsisset super materâ accidentium Sacramenti Altaris, quæ est valde subtilis, posuit se in extremis Altaris orans dixitq; sibi Crucifixus: Bene scripsisti de me Thoma S. Vinc: Ferrerius Serm: de S. Thoma de Aquino.

tias rerum non esse objectum sensuum, sed solius intellectûs. Dicit enim. *Substantia, inquantùm hujusmodi, non subjacet alicui sensui, sed nec etiam imaginationi; sed soli intellectui, qui dicitur oculus Spiritualis, cujus objectum est, quod quid est: ùt dicitur in tertio de anima.* (z) Hinc arguere licet. Quantitas extensiva corporis, est objectum potentiæ sensitivæ vel imaginativæ: Substantia corporea secundùm se, non est objectum potentiæ sensitivæ vel imaginativæ. Ergo de ratione substantiæ non est quantitas extensiva.

Alterum. *Substantia secundùm se ipsam, non potest recipere magìs vel minùs: quia est per se ens. Unde in genere substantiæ, nihil dicitur magis & minùs, quia id, à quo aliquid habet speciem, oportet manere fixum, & stans in indivisibili.* (a) Ideoq; *propria totalitas substantiæ continetur indifferenter in parva vel magna quantitate: Sicut tota Natura àëris in parvo vel magno àëre.* (b) Hinc intelligitur: substantiam, secundùm se ipsam, esse totam in toto, & totam

(z) 3 p. q. 76. a. 7mo. (a) 1ma 2dæ quæst: 52. a. 1. & 2do. (b) 3 parte quæst: 76. a. 1mo.

totam in singulis partibus totius: siquidem stat in indivisibili. Hoc autem quātitati extensivæ competere per se non potest. Ergo hæc non est de conceptu quidditativo corporis.

Hæc S. Doctor ad præsentem materiam sic applicat. *Dupliciter aliquid Christi est in hoc Sacramento. Unô modô ex vi Sacramenti. Aliô modô: Ex reali concomitantia. Ex vi quidem Sacramenti quantitas dimensiva Corporis Christi non est in hoc Sacramento. Ex vi enim Sacramenti est illud, in quod directè conversio terminatur. Conversio autem directè terminatur ad substantiam Corporis Christi, non autem ad dimensiones Ejus. Quod patet ex hoc, quòd quantitas dimensiva panis remanet, factâ consecratione, solâ substantiâ panis transeunte. Quia tamen substantia Corporis Christi realiter non dividitur, à sua quantitate dimensiva, & ab aliis accidentibus, inde est, quod ex vi realis concomitantiæ; est in hoc Sacramento tota quantitas dimensiva Corporis Christi & omnia ejus accidentia.* (c)

Ex quo habemus, Corpus Christi Eucharisticum carere omni extensione: cum con-

(c) Ibidem art: 4. in Corp:

versio fiat substantiæ in substantiam, & non quantitatis in quantitatem: quod fieri oporteret, si de conceptu essentiali corporis esset extensio. Sed non fit: quia ad quantitatem dimensivam, directè non terminatur conversio: ideoq; factâ Consecratione transit quidem tota substantia panis, nihilominus remanet tota quantitatas & extensio panis. Ergo.

Sed hìc fortè movebit lacertos Musonius, dicetq; ex Verbis Angelici Magistri constare, substantiam corporis Christi indivisam esse à sua quantitate dimensiva. Ergo substantia corporis Christi Eucharistici non intelligitur esse absq; omni omnino extensione. Repugnat enim quantitatem dimensivam spoliari omni extensione. Audi Musoni. Per Te non repugnat Corpus Organicum quantitate proportionata præditum spoliari aliqua extensione. Dixisti enim corpus Christi Eucharistici non omnem suam habere extensionem, sed aliquam habere, aliquam non: nihilominus manere integrum & totum quò ad substantiam, & quò ad omnes partes integrales: neq; potes assignare certam dimensionem, quæ

quæ sit substantialis corpori organico, quæ non? & nullam assignabis, quâ non possit spoliari. Cur igitur Corpus quantitate sibi proportionata præditum, non possit Divinitus existere, sine omni extensione? Dico: Christum in Sacramento habere omnem omnino quantitatem dimensivam suo corpori organico naturaliter debitam, & simul nullam omnino habere extensionem. Hoc Tibi captu difficile est? neq; in tuam intelligentiam cadere potest? Atqui celeriter comprehendes, si Te Angelici Doctoris lumen in intellectum adduxerit. Duplicem ille assignat cuilibet rei modum essendi. Unum per se, qui ei proprius & à natura debitus est; alterum per accidens, qui ei ratione alterius, propter realem connexionem obtingit. Modus essendi quantitati proprius est, Corpus quod afficit, facere extensum spatioq; loci commensuratum: & sic singulis partibus corporis locati, respondent partes quantitatis. Per accidens autem potest acquirere modum essendi improprium sibi; proprium autem substantiæ, à qua in separabilis est realiter; & sic per accidens

fieri expers omnis realis & localis extensionis. Id verò luculentiùs patet in cæteris accidentibus. Certè enim corpus Christi organicum essentialiter ossibus, carne, & nervis constat; ergo sub accidentibus panis & vini continetur crassitudo, durities & eburneus ossium rigor. Hæc tamen accidentia non habent modum essendi proprium, diversum à substantia: aliàs deberent cadere in sensum, & mole excederent ambitum hostiæ: Sed sicut substantia secundum se, nullo sensu comprehensibilis est, sic & hæc accidentia: Sicut substantia est tota in toto, & tota in singulis partibus; sic & hæc accidentia. Commodate jam aurem Aquinati. *Modus essendi,* inquit, *cujuslibet rei determinatur secundùm id, quod est ei per se, non autem secundùm id, quod est ei per accidens. Sicut corpus est in visu, secundùm quod est album, non autem secundùm quod est dulce: licèt idem corpus sit album & dulce: unde & dulcedo est in visu secundùm modum albedinis, non secundùm modum dulcedinis. Quia igitur quantitas dimensiva Corporis Christi est ibi concomitanter & quasi per accidens, ideo non est secundùm proprium modum, ut*

scilicet sit tota in toto, & singulæ partes in singulis partibus: Sed est per modùm substantiæ, cujus natura est tota in toto & tota in singulis partibus. Et licèt duæ quantitates dimensivæ non possunt naturaliter simul esse in eodem; si ibi utraq; sit secundùm proprium modum quantitatis dimensivæ; in hoc tamen Sacramento, sola quantitas panis est secundùm proprium modum, scilicet secundùm commensurationem quandam; quantitas autem dimensiva Corporis Christi, non est secundùm modum commensurationis; sed est ibi per modùm substantiæ, ut dictum est. (d)

Ex his conficitur 1mò. Corpus Christi Eucharisticum contineri in Sacramento, non ut in loco. Dicit enim Divus Thomas. *Corpus Christi in hoc Sacramento non est secundùm proprium modum quantitatis dimensivæ, sed magis secundùm modum substantiæ. Omne autem corpus locatum, est in loco secundùm modum quantitatis dimensivæ: inquantum commensuratur loco secundum suam quantitatem. Unde relinquitur, quod in hoc Sacramento non est sicut in loco.* (e)

Hinc

(d) Ibidem art: 4. ad 1mum. (e) Ibidem art: 1. in Corp.

Hinc discimus Sententiam, quæ Christo Eucharistico aliquam, licèt non omnem extensionem tribuit, non subsistere. Omne enim corpus qualitercunq; extensum, secundùm modum suæ commensurationis adæquatur alicui loco. Quod de corpore Christi in Sacramento manente, dicere falsum est. Falsum inquam, etiam ex hac ratione, quòd, si esset ut in loco, esset per se mobiliter. Sed non est. Quia dicit D. Thomas: *Impossibile est idem secundùm idem esse simul motum & quietum. Corpus autem Christi in Cælo quietum residet. Non ergo est mobiliter in hoc Sacramento.* (f) Dicimus non moveri per se, id est secundùm locum: non negamus tamen moveri per accidens: hoc est secundùm esse, quod habet in Sacramento, movetur ad motum Ejus, inquo est. Non absimili ratione, atque substantia Spiritualis dicitur moveri cum corpore moto, licet ipsa per se non potest esse in loco.

Conficitur 2dò. non sic individuum esse corpus Christi in Sacramento, sicut imago in speculo, quod ubi in plures par-

 tes

(f) Ibidem art: 6.

tes frangitur, eadem tota imago apparet in singulis vitri fragmentis, quæ in integro. Quia talis totalitas præviam requirit fractionem: aliter non apparebit in singulis partibus; siquidem contingit non nisi propter diversas reflexiones ad diversas partes speculi fracti; è contra, corpus Christi manet totum sub singulis partibus specierum, etiam ante omnem assignationem partium. Unde D. Thomas: *Manifestum est, quod sicut Natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur: vg. sub qualibet parte panis est tota natura panis, sive sint dimensiones actu divisæ; sive actu indivisæ, divisibiles autem in potentia, ita Christus est sub qualibet parte specierum panis, etiam hostiâ integrâ manente, & non solùm cùm frangitur.* (g)

Conficitur 3tiò Quamvìs substantia materialis præcisè secundùm quod substantia est, sit tota sub magnis, & tota sub parvis dimensionibus, non magìs enim est substantia quæ in mari, quàm in modica guttula: quod quidem etiam competit substantiæ Spirituali, scilicet animæ humanæ: quæ tota est sub magnis dimensionibus corporis, & tota sub parvis dimensionibus oculi: tamen secundùm quod materialis est, differt multipliciter. *1mò* quia quantitatis extensivæ suarumq; dimensionum, atq; omnium proprietatum, & accidentium sensibilium, per quæ cognoscitur, sentitur & dignoscitur, subjectum proprium est. Per quod efficitur non expers sensibilis compositionis, divisionis, & integritatis partium: atq; ita est quidem tota in singulis partibus secundùm esse substantiale, non autem secundùm esse integrale. *2dò.* Quia talem congeriem proprietatum & accidentium sensibilium, quantitatisq; extensionem, atque adeò impenetrabilitatem naturâ suâ exigit: neq; potest, hîs denudata, naturaliter existere. Nihil autem horum congruit substantiæ spirituali. Unde, substantiam materialem rectè definies: quod sit ex natura sua sensibilis, & impenetrabilis cum alia simili substantia. E contra, substantia Spiritualis neq; est ex natura sua sensibilis, neq; impenetrabilis. Perperam igitur novæ Philosophiæ Doctissimi Assertores insimulant Angelicum Doctorem, ejusq; Angelicæ Doctrinæ per studi-

(g) Ibidem art. 3. in Corp.

studiosissimos Peripateticos, quasi genuinas Corporis & Spiritûs notiones confundant, eò quòd negant esse de ratione essentiali Corporis trinam extensionem suamq; sententiam ajunt summoperè cōformem iis, quæ nobis de Sacrosancto Altaris Mysterio credenda, Fides & Ecclesia proponit. Secus Adversariorum.

Remanent nonnullæ difficultates, quas opposita sententia in arenam conducere solet. Has etiam Angelicus Doctor planissimè evacuat. Imprimis circa definitionem & naturam Accidentis dicit. *Non est definitio substantiæ, esse ens per se sine subjecto: sed quidditati substantiæ competit habere esse non in subjecto. Neq; definitio Accidentis est: Ens in subjecto. Sed essentiæ accidentis competit esse rem, cui debetur esse in subjecto. Et ideo in hoc Sacramento non desinunt esse Accidentia per hoc, quòd ex Divina virtute sustentante, non sint in subjecto, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subjectum, & non actualis inhærentia: neq; competit eis definitio substantiæ.* Dicit ulterius: quòd *hujusmodi accidentia acquisiverunt esse individuum in substantia panis & vini. Et post consecrationem, remanent virtute Divina, in illo esse individuato, quod prius habebant. Unde sunt singularia, sensibilia, sunt composita ex esse, & quod est: & cum hoc habent compositionem partium quantitativarum.* (h)

Occurrit altera difficultas circa conversionem Eucharisticam. Cùm enim forma Corporis Christi sit ipsius anima; quomodò possit dici vel intelligi, quòd forma substantialis panis convertatur in animam Christi? Hunc nodum ex facili dissolvit Angelicus Doctor, viâ & ratione Peripateticorum. *Anima est forma Corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti. Scilicet esse: & esse corporeum: & esse animatum: & sic de aliis. Convertitur igitur forma panis, in formam Corporis Christi, secundùm quod dat esse corporeum; non autem secundùm quod dat esse animatum tali animâ.* (i)

Alias oppositiones, quas novi Philosophi, Catholici quidem, ut sanctè credimus, à Sacramentariis aliisq; hæreticis, proh pudor! cupidiùs exceptare, studiosè arripere, sibiq; assumere, & in Achillem adornare, non infamiæ sibi ducunt, fusè

(h) Ibid: q. 77 a. 1. (i) Ibid: q. 75. a. 6.

fusè profligatas & protritas invenietis in Controversiis Roberti Cardinalis Bellarmini: (*k*) Cujus in cælitum Canonem inserendi, & publica Religione consecrandi actio, magnis hodie passibûs tractatur Romæ.

Atquè hic est invictissimus juxtà ac sapientissimus reconditarum disciplinarum Dictator; Aristotelicæ Intelligentiæ sol alter longè fulgentissimus, Christianæ Proauctor Philosophiæ Divus Thomas Aquinas. Cujus ductu & auspiciis, omne naturalium, & quæ supra naturam sunt, scientiarum profundum tutò enavigabitis. Per quem Accidentia Physica absoluta, extra mentem, realia, acutissimè explicata, solidissimè asserta, luculenter demonstrata, stabilita, & ab aggressorum tendiculis communita habemus. Contra cujus doctrinam, inimica ex adverso castra qui erigunt, de grege malesanè in Dogmatibus Fidei sentientium, esse, ab illuminatissimis Sacræ Theologiæ Proceribus reputantur. Cujus signorum desertores Libertini, in quibus ipsa scilicet vivit

(*k*) Tom: 3. Controvers: 3. de Sacr: Euch: L. 3 c 24. & c. 6. 7. &c.

vivit Sapientia, sibi Ipsi Duces, Ipsi Signiferi, Ipsi Naucleri, ipsi Magistri, grassabuntur illi quidem per freta & maria scientiæ naturalis, sed non sine aperto pessumeundi discrimine. Facilè enim in saxa & syrtes, in vada & voragines agentur ipsi, & alios agent. Non secus, ac oneraria plenis velis incitata, inops rectoris, inops anchoræ, inops gubernaculi. Velificare quidem multiplici periclitationis arte poterunt; verùm haud alio plerumq;, quàm quem Seneca notavit, eventu. *Ubi diu lusère navigia, sorbentur.* Aliudq; prærogativum non capient omen, præter illud Poëtæ.

Naufragium facient partes ipsius in ipso. (*l*)

Minerv: Nulla Tibi par gratia referri potest, Theophraste, quantam debemus pro tanta illuminatione. Depulisti omnem ab acie mentis nostræ caliginem, ut in meridiana luce non cæcutiemus. Si adhuc Musonius à suis deliramentis non abscesserit; nullo deinceps carmine piabitur: nec Mercurius quidem cum Musis illum persanaverit. Dixit olim Tullius: *Errare malo cum Platone, quam cum istis vera*

(*l*) Manilius Astron: l. 2.

vera sentire. (m) Non aliter ego: malo cum Divo Aquinate, maximis quibusq; pelagi erroribus caput devovere; quàm cum istis, qui in albo Epicuri sunt, stare in continente & Isthmum fodere.

Theophr: Absolvimus Minervine, partem notabilem illius universalis & cardinalis propositionis Pallavicini, quam Tu ad oculum demonstrandam suscepisti. Nempe, commutatâ in quibusdam principiis Philosophiâ, Religionem quoque mutari necesse est. Grandis assumptio: unô alterôve argumento non illico generatim evincitur. Instandum Tibi est per singula, vel certè per principaliora Divinarum veritatum effata. Instandum autem clarè, perspicuè, solidè.

Minerv: Patrabo promissa. Priùs tamen Musonius proferat in publicum reconditæ suæ & hactenus nullis vel Divini ingenii Doctoribus comprehensæ Systema Sapientiæ. Quæro ex Te Musoni, habes Tu animam? *Muson:* Et incorpoream quidem, immortalem, spiritualem

(m) Tuscul: Quæst:

lem substantiam, cogitandi capacem, regendoq; corpori destinatam. *Minerv:* Hæc est tota animæ essentia à Te cogitata? *Muson:* Tota, sed non à me, verùm à Divo Augustino inventa. Dicit enim: *Si definiri Tibi animum vis, & ideo quæris quid sit animus? facilè respondeo. Nam mihi videtur esse substantia quædam rationis particeps, regendo corpori accommodata.* (n) *Minerv:* Nihilo tuæ sectæ partes meliores reddis auctoritate Augustini. Erras enim & toto Cælo ab illo devias. Ille enim interrogatus quid sit animus? sufficienter respondit, quantùm hic & nunc quæstio postulabat. Ego verò quæro quid sit anima? Licèt autem hæc in esse rei sint idem; ratione tamen multipliciter differunt. Nam ista vox animus, nihil aliud importat præter esse intellectivi, quod humana mens habet commune cum Angelis. Anima verò repræsentat ordinem, quem essentialiter dicit ad corpus organicum, cujus est principium vitale, tribuens ei denominationem animati: repræsentat ulteriùs rationem partis intrinsecæ perfectivæ compositi physici substantialis,

(n) de qntte animæ cap: 13.

tialis, viventis &c. Quarè, si per Augustinum à Tuis chimæris deduci vis, debes imprimìs cultellô iugenii Tui secernere animum, ab anima: tum à Divo Augustino, cum reverentia exorare perfectam definitionem animæ, in quantum anima est. *Anima*, inquit ille, *est, per quam Corpus subsistit, quæ tradit speciem corpori, ut sit corpus, inquantum est.* (o) Non clarè intelligis his verbîs exprimi formam corporis organici esse animam? Vide igitur, ut dilucidè suum Doctorem & Magistrum explicat Angelicus Præceptor. *Anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti: Scilicet esse: & esse corporeum, & esse animatum.* (p) Quid? non optimè concordant & in unum conveniunt Sol Africanus, & Sol Aquinaticus? Non idem sunt? *Anima* tradit speciem corpori: & anima est forma corporis? Non idem sunt? per animam corpus subsistit ut sit corpus inquantum est: & Anima dat corpori totum ordinem esse perfecti? Disce deinceps aliam, quàm tua sit Sophistica, melioremq; ex Divo

(o) de Immortalit: animæ cap: 25.
(p) 3. p. q. 7. 7. a. 6.

Divo Augustino capere intelligentiam.

Adverto præterea plurimùm discrepare ista: animam esse regendo corpori accommodatam, & regendo corpori destinatam. Prima propositio, solam explicat habilitatem animæ quæ, ipsi insita est ad gubernandum corpus: nihil interim decernit, utrum hæc attributio sit animæ differentia specifica & ultima? Tua verò propositio, involvit Decretum DEI ab animæ natura extraneum, ad præstandum idem munus, tanquam principale, & unicum, quod falsissimum est. Anima enim necessariò debet habere prædicata essentialia intrinseca, per quæ, ex natura sua specie differat ab omni eo quod non est anima, vg: ab angelo bono vel malo. Intrinseca inquam, non extrinsecùs advenientia. Hæc Tu non ostendis. Quæ enim? produc illa.

Musonius. Nulla alia, nisi quòd sit regendo corpori destinata. Nisi enim à Divino Artifice regendo corpori destinata esset anima; esset prorsus indifferens, ut corpori conjuncta, vel à corpore sejuncta existeret. Sed hoc velut discrimine unicè illa distinguitur ab Angelis, quòd

quòd hi regendo corpori minimè destinantur. (*q*)

Minerv: Ergo Logicam indifferentiam, ut Scholæ vocant, attribuis animæ ad incolendum, vel non, corpus humanū. *Muson:* Ita est. *Minerv:* Infero: ergo idem sentias oportet de Angelis, hos quoq; habere Logicam indifferentiam ad regenda corpora, si unica Divini Opificis voluntas accederet. Siquidem per Te non discriminantur ab anima, nisi quòd regendo corpori destinati non sint. Si itaq; destinarentur, eò ipsò pares essent non secus ac anima, ad regendum corpus. Infero adhuc: si Divini artificis voluntas esset, animam indifferentem & paratam esse ad regendum corpus bovinum, vulpinum, Leoninum. *Muson:* Hoc non concedo. *Minerv:* Quare non? Siquidem per Te tota & adæquata ratio regendorum corporum, respectu spirituum, consistit in Decreto Dei libero? At saltem hoc non poteris inficiari: Ex tuis principiis sequi animam vinculîs corporis solutam, recepta libertate, recuperare indifferentiam; posseq; destinari à Deo, animam

(*q*) Corsinus in Phca Gorli.

mam proavi ad regendum corpus pronepotis: Animam Alexandri Magni, ad Julium Cæsarem animandum, & sic de aliis. Præter enim, quòd id graves evincant congruentiæ, ut vg: quòd ea ratione non multiplicarentur entia sine necessitate, tót scilicet motores sive rectores corporum, quot corpora fluxu temporum nascuntur ac intereunt; quam Tu repugnantiā adferre poteris in Tui Systematis fundamento? Nullā. Ad auctoritatē fidei Divinæ, Scripturæ Sacræ, Conciliorum & Patrum fortè recurres? frustra. Rationem à Te ex Tuæ Philosophiæ principiis extorquendam urgeo. Quamdiu hanc convincentem non expromes) expromes autem nunquam) hærebis in nassa. Vestri enim perfugii ultima tabula hæc est. *Etsi communis omnium Philosophorum opinio foret, tamen non auctorum numerô, neq; auctoritatibûs, sed rationibûs certandum esse.* (*r*) Tuis Te artibûs peto: Auctoritates nihil moror: ad certamen rationum provoco. Confirmant illationem meam vestræ Philosophiæ Primores & primipili. An enim Carthesius, Gassendus, Nevtonus,

(*r*) Corsinus.

nus, Lemnicius, cæteriq; ejusdem farinæ tam portentosa somnia somniare valuissēt unquam? nisi Democriti, Leucippi, Epicuri animæ, callosam cerebri partem illorum insedissent? Plura ex his pullulantia mox Tibi objicienda inconvenientia, servo mihi, ubi primùm reliqua vestræ Sapientiæ Mysteria à Te expressero. Doce itaque anima Tua est ne unita Corpori?

Musonius. Ex intimo commercio, quod inter animam & corpus habetur: ex eo, quòd cogitationes mentis, motibus corporis; & hi vicissim cogitationibus mentis respondeant, constat unitam esse. *Minerv:* Hæc unio fortè est aliquid physicum & reale, à corpore & anima distinctum, determinans partes ad constituendum unum individuum, substantiale, per se subsistens. Corpus enim subsistit per animam tanquam per formam: ut dicit Augustinus cum Divo Thoma. Quibus assensum & fidem negare, certè impudentissima res est. Subsistere autem quî possit? nisi per arctissimum, quô tenacior cogitabilis non sit, adeoq; Physicum non moralem nexum, agglutinetur anima omni-

mnibus & singulis partibus corporis. Si enim est forma substantialis totius compositi, est etiam forma singularum partium componentium unum & idem totum. *Muson:* Ita quidèm garriunt Peripatetici, sed ineptè. Rudis admodùm & vulgaris hæc est opinio, ex infantiæ præjudiciis exorta. Nobis verò nova, singularis & expeditissima de unione animæ doctrina est. *Minerv:* Per tuum ingenium obsecro Te, ne me celaveris sententiam tuam, suspicor enim acutulam, inopinatam, & admirabilem fore. *Muson:* Si discere non pigritaris? dico: Unio animæ cum corpore nullatenùs consistit in aliquo physico influxu; sed in harmonia quadam præstabilita, juxtà Systema Leybnitiano-Volfianum. *Miner:* Magnos in Christianitate Doctores, si adhuc Nevtonum non reticuisses, adduxisti, contra meos, seu potiùs Ecclesiæ, à me citatos Divos: Augustinum & Thomam. Sed, ut ingenuè fatear, tenebricosissimum meæ menti ænigma injecisti. Qualem tu harmoniam intelligis? Musurgicam fortè, quam ex continuo venarum, fibrarum, nervorum percussu, arte-

narumq; rythmo, sibi concipit & emodulatur anima semper jucunda, qualis in Democrito fuit. Explica Te: Ego enim ex dictis nihil percipio. *Muson:* Oedipus cùm sis, ænigmata non intelligis? Ut aliquid capere possis, sciendum Tibi est, mentem, cùm sit Spiritus, nullatenùs per corpus dilatari posse. Sed cùm sit omnium commotionum in homine moderatrix, Solium illius pro dignitate, est pars illa cerebri, ad quam omnes nervi motorii appellunt. Sive illa sit glandula pinealis, sive pars illa cerebri, quam callosam vocant. Unio itaq; animæ cum corpore, consistit in quodam admirabili & inexplicabili fædere, quô Deus occultô suô Consiliô mentem corpori colligavit. Ut dum ex corporei objecti præsentiâ corporea quædam imago sive spirituum motus excitantur in cerebro, similis species excitetur in anima. Et sic vg: ut rem plenè illustratam habeas, dum homo vulnus accipit in pede, dolor quidem in pede sentitur nullus, sed repentè sentitur & percipitur in cerebro. Tum quòd Spiritus vitales à pede ad cerebrum celerrimè diffundantur, tum quòd nervorum

vorum fibræ, instar chordarum tensæ, motum & tremorem repentè in cerebro, cui veluti appensæ sunt, communicent. Atq; ita anima in cerebro collocata, distinctè dolorem in pede excitatum percipit, intelligit, contemplatur. Jam probè satisfactus es?

Minerv: Satìs habeo: & hodie tandem, suprà quàm hactenus, longè sapientior factus sum. Didici enim aliquid tale, quod si Tibi Musoni, proposuero, nunquàm credes. Audis? quid Tibi objecero? Spiritus iste sive mens, quæ cerebelli Tui partem callosam possedit, nequaquàm anima est. *Muson:* Consto mihi, & certus sum hominem esse me animâ rationalî præditum. *Minerv:* Falsum est: Cacodæmonem habes in glandula pineali. Unde enim id quod asseris, colliges? aut quibûs ab impressione mea Te versutiîs expedies? Appellabis ad testimonia Scripturarum? Ego rectam rationem naturalem objiciam & dicam cum vestro Purchotio. *Ratio naturalis evidens, ita certissima est, quemadmodum revelatio supernaturalis.* (s) Ad ipsius

 Chri-

(s) Log: p. 4. c. 3 axiom: 3.

Christi Evangelii verba recurres? Respondebo cum vestro Mallebranche. *Ex evidentibus principiis legitimè deductæ Consequentiæ, easdem veritates habent, quas in Evangelio discimus.* (t) Ad auctoritatem Conciliorum recipies Te? irritum laborem suscipis. Decollavit enim spem tuam, tuus Atomista Edvardus Corsini, qui Conciliis Oécumenicis omnem omnino potestatem decernendi quidquam sive directè, sive indirectè, in rebus Philosophicis, in perpetuum abrogavit dicens: *Veterem hanc Philosophorum controversiam, scilicèt de unione animæ ejusq; operationibus in corpore, dirimere Patrib9 Cócilii cordi nõ fuisse, neq; illorum certè intererat hanc ullâ ratione definire.* (u) Restat Tibi sola ratio rectissima. Si itaq; ex tuis principiis & rectissimis, ut vocas rationibus Te in re præsenti clarè convicero jam ex sententia Mallebranchii, Evangelicæ veritati par erit ista: Malum genium habet, orcum habet, ditem habet Musonius in glandula pineali! Aggredior demonstrationem. Docuisti me, officium animæ esse, ut resideat

(t) de Inquir: ver: Lib: 6. c. 6. (u) in Phca Gentili.

sideat in glandula pineali. Operationes animæ, secundùm quod anima est, non alias esse, nisi ut attendat nervis motoriis: Spirituum vitalium nuncios excipiat, quid in unaquaq; corporis parte agitur, contempletur; læsi corporis affectiones percipiat, atq; etiam sentiat, id est cognoscat & intelligat: de sinistra corporis habitudine tristetur vel etiam lætetur: ut multi Sancti viri in variis afflictationibus, & Martyres in catastam extensi, immortali gaudiô complebantur. Vicissìm ut ipsa excitet impellatq; fibras, musculos, nervos organorum, & Spiritus vitales applicet, ad quamcunq; libuerit actionem exercendam. Quid horum non possit præstare Ater Genius? an glandulam pinealem præsidere nequeat? an spirituum vitalium percursationes penitissimè dispicere? aut quoscunq; tandem motus corporis mitigare & frœnare par non est? Infero. Ergo ater genius par est uniri corpori vice animæ, unione harmoniæ præstabilitæ. Orciniana larva hospitatur in cerebro Musonii!

Musonius. Gravem injuriam mihi imponis & nihil probas. Neq; enim lo-

 qui-

quimur de possibili, sed de præsenti providentia: quòd Deus regendis corporibus defactò non destinaverit Angelos, sed animas, quas ut primùm creatas, statìm corporibus admirabilis harmoniæ fœdere connectit. Et hanc dicimus esse animæ ab Angelo differentiam.

Minerv: Inaniter consumis verba; sic enim anima non differret per se, ab omni eo, quod non est ipsa; sed per Decretum Dei, quod est extra se. Mihi autem ad redarguendam vestræ Sophiæ insulsitatem, sufficit ostendisse, quòd spectatâ animæ essentiâ, qualem vos fingitis, Angelus possit esse corpori, locò animæ. Quin etiam insuper, ex hoc Decreto, quale fingis, quô Deus destinavit Spiritum fœderare corpori nexu harmonico, nihil, spectatâ sola ratione naturali, colligere potes, nisi spiritum esse corpori innexum: scilicet vel Angelum vel animam: Siquidèm per Te, neuter Spiritus differt ab intrinseco, sed per Decretum Dei: de Decretis autem Divinis, Tuo arbitratu, quidquam, nisi temerè concludere non possis. Tu perperàm contendis esse animam; Ego pari jure & ratione evinco Angelum esse non

non animam. Concedimus quidèm Peripatetici Deum determinare animam, ut mediante unione physica constituat corpus tanquàm forma, sed forma, quæ sit longè alterius ordinis & naturæ ab Angelo. Forma, qualem conformiter ad definitiones Ecclesiæ, præscribit Divus Thomas. *Anima est forma, quæ dat corpori esse, & totum ordinem esse perfecti.* (x) Tua Sapientia tale Decretum non suscipit, sed rejicit: & contrarium evincere laborat. Cùm enim negat possibile esse, ut anima Spiritualis sit Forma Corporis Organici in sensu Peripateticorum & Divi Thomæ; relinquitur animam esse tantùm motricem sive moderatricem Corporis: & per consequens, relinquitur Liberum esse Deo, ut saltem aliqua hominum corpora permittat agi, moveriq; intrinsecè per modum rectionis, sive harmoniæ à Te descriptæ, à Dæmoniis, tanquàm motoribus, locò animæ. Et talem ego, missis controversis de Antichristo quæstionibûs puto hominem fuisse Epicurum, Atheum, ejusq; Scholæ Studiosos. Quibûs tandem exorcisinîs? quibûs

(x) p. 3. q. 75. a. 6.

bûs adjurationibûs Te aggrediar Musoni? Epicureus es; Dæmonium pertinax altis radicibus defixũ est in glãdula tua pineali.

Musonius. Nihil & nihil proficis criminosîs tuîs captiunculîs. Quamvìs enim Angeli humana corpora movere possint; non tamen per modum animæ: quia non per modum formæ, seu principii informantis, sed extrinsecè solùm, per modum formæ seu principii assistentis. (y)

Minervinus. Tandem extremum malum tuo Tibi jumento accersivisti. Inter malleum & incudem positus, utroque versus vapulabis. Vel enim nomine principii informantis, cum Divo Augustino & Divo Thoma, cæterisq; Ecclesiæ Doctoribus ac Theologis, intelligis formam hominis, qualem definiverunt Concilia: Lateranense 5tum & Viennense; & sic quidèm Catholicus es. Sed Epicuream Palladem, toto capite minorem reddidisti. Dum enim à Te ipso desciscis, & atomorum commentis terga vertis; facta defectione, omnes Novæ Philosophiæ substructiones, ex se satìs imbecilles corruere necesse est, comminui, ac dissipari,

(y) Corsinus Metaph. Disput: 2. cap: 1.

pari. Vel nomine principii informantis nihil aliud accipis, nisi animam cellulâ glandulæ pinealis inclusam, & nervis motoriis incubantem? Et ita primò, mentiris formam substantialem corporis, qualis nec esse, nec dici, nec fingi cogitariq; possit. Secundò, contra Definitiones Ecclesiæ temerarius insurgis, cornua obvertis, atq; adeò Hæreseos classicum canis. Tertiò Ab impacta Tibi contumeliosa dica, Te non Salvabis nec liberabis. Curro per singula.

Concilium Lateranense sub Leone 10. cap: Damnamus, statuit. *Anima verè, per se, & essentialiter hominis corporis, forma existit:* Quid est hominis corporis per se & essentialiter esse formam? Quis nos edocebit? Epicurus? Nomen vel Ethnicis Sapientibus infame & infandum? absit. Divus Augustinus, vel Divus Thomas? Hoc malim: hoc mecum omnes, qui ex vero, recta ratione ducuntur, Philosophi, maluerint. Equidèm Tibi hos Doctores in idem conspirantes jam recitavi. Non recolo semel prolata: sed plura adstruo. *Forma hominis,* inquit Angelicus *per essentiam est, per quam homo est*

Ens

Ens actu, per quam est corpus, & per quam est vivum, & per quam est animal, & per quam est homo. (*y*) Ecce habes à Divo Thoma liquidè expositum, quid sit animam per se & essentialiter esse formam hominis? Idem alibi. *Omnis forma vel est ipsa Natura rei, sicut in simplicibus; vel est constituens ipsam rei naturam, sicut in his quæ sunt composita ex materia & forma.* (*z*) Adeamus etiam ad Concilium Viennense. *Illa forma substantialis, quæ omnium, quæ producuntur in homine operationum principium, fons & origo est, nihil est aliud quàm anima rationalis.* In Clement: cap: *Porro.* Subscribit definitioni, summa religione, Angelicus Doctor: eamq; sic explanat. *Anima est primum, quô nutrimur, sentimus, & movemur secundùm locum, & quo primo intelligimus.* Id est: ut Scholæ loquuntur. Principium vegetationum, sensationum, ratiocinationum. *Hoc ergo principium est forma corporis* ait Divus Thomas. (*a*) Neq; solidissimis ab intrinseco rationibus parcit Aquinas, quibûs

(*y*) 1. p. q. 76. a. 6 ad 1mum.
(*z*) 5 p. q. 13. a. 1mo in Corp:
(*a*) 1. p. q. 76. a. 1. in Corp:

bûs Fidei Divinæ fulciat Exedram simul Peripateticorum. Sic enim ibidèm ille. *Illud quô primo aliquid operatur, est forma ejus, cui operatio attribuitur. Et hujus ratio est: quia nihil agit nisi secundùm quod est actu. Undè, quo aliquid est actu, eo agit. Manifestum est autem, quod primum, quo Corpus vivit, est anima. Et cùm vita manifestetur secundùm diversas operationes, in diversis gradibus viventium; id, quo primo operamur, unumquodq; horum operum vitæ est anima.* Ex his definitionibus Ecclesiæ à Divo Thoma illustratis & stabilitis, an tandem didicisti, quid sit esse principium informans? Si non cuculus es, certè sapere debuisti. Sed ex adductis testimoniis quid sequitur? Id quod infero. Non poteris, nisi insolens veri, nisi simulatè ad fucum faciendum, per ludum, non poteris animam glandula pineali reconditam appellare formam corporis, sive Principium informans. Probo multipliciter.

1mò Forma substantialis Hominis est, per quam homo est Ens actu: per quam Homo est corpus, ut dicit Divus Thomas, probatq; insuper: quia *primum inter*

inter omnes actus, est esse: esse autem in actu, materia habet per formam, quæ dat esse simpliciter. (*b*) Sed in Tuo Systemate neq; anima est, per quam homo sit Ens actu, neq; per quam sit corpus. Ergo &c. Idem currit argumentum de esse viventis, de esse animalis, de esse hominis.

2dò Forma substantialis hominis est pars essentialis constituens ipsam hominis naturam, ut dicit Divus Thomas, præterea probat. *Homo enim est quoddam individuum in natura, cujus essentia est una, composita ex materia & forma.* (*c*) Sed, in Tua doctrina, anima non est pars essentialis constituens hominis naturam, sive constituens unum individuum, cujus essentia sit una physicè composita &c. Ergo.

3tiò Quod est præter essentiam hominis, non est forma substantialis Hominis: ut patet ex argumentis quæ prætexui. Et Divus Thomas ait. *Si intellectus est præter essentiam sortis, sequitur quod non sit forma ejus.* Sed anima solius glandulæ pinealis incola, est præter essentiam hominis:

(*b*) Ibidem in Corp:

(*c*) Ibidem in Corp:

quia dicit iterum Divus Thomas. *Si intellectus comparetur ad totam Sortem, sicut motor ad motum; sequitur quod sit præter essentiam ejus.* (*d*) Atqui anima glandulæ pinealis carceraria, comparatur ad totum corpus non aliter, nisi ut motor ad motum: prout ipse in explicata à Te unione harmonica demonstrâsti. Ergo est præter essentiam hominis. Ergo non est forma.

4tò Si anima est Forma hominis; est per se & secundùm suam essentiam, forma Corporis hominis: ut decrevit Concilium Lateranense 5tum. Atqui secundùm Te, anima neq; perse, neq; secundùm suam essentiam est forma Corporis hominis, sed solùm per Decretum Dei, quod ab animæ essentia tantùm distat, quantùm Deus à creatura. Ergo anima non est forma hominis.

5tò Forma substantialis hominis, est principium omnium omninò operationum, quæ producuntur in homine: prout sancivit Concilium Viennense. Ergo est primum quô nutrimur, sentimus &c. ut ait Divus Thomas. Sed per Te anima non

(*d*) Ibid: in Corp.

non est primum quô nutrimur, non est primum quô sentimus &c. quia neq; est principium vegetationum neq; principium sensationum. Ergo non est principium omnium operationum, quæ producuntur in homine. Ergo non est forma substantialis hominis, Ergo non potest nisi arbitrariè, dici principium informans.

Et hoc erat, quod primum demonstrandum suscepi. Ex quo facilè ad secundum venio. Pono enim propositiones contradictoriè sibi oppositas.

Anima verè, per se, & essentialiter est hominis corporis forma: & est principium omnium operationum, quæ producuntur in homine.

Vel Anima non verè, neq; per se, Et neq; essentialiter est hominis corporis forma: Vel non omnium operationum, est Principium, quæ producuntur in homine.

Ex duabus his propositionibus Contradictionem invehentibus, si una de fide est; alteram necesse est esse Fidei Divinæ repugnantem. Atqui prima ex his propositio, cùm sit definitiva Sententia Conciliorum & Patrum, verè de fide est. Ergo

go opposita, quam Tu defendis, repugnans Fidei.

Implevinè in solidum debitum meum? an in aliquo fefelli? non tuum, sed aliorum erit judicium. Ego ad tertium Tibi intentum discrimen gradum facio. Istud verò minimum mihi facesset negotii: siquidem sponte ex prioribus fluit. Si enim Spiritus humani Corporis inquilinus, non est pars intrinseca essentialis istius individui in natura, quod est homo: cujus essentia est una ex partibus physicè unitis coalita; non erit forma substantialis, sive principium informans. Sed si Spiritus non est physicè copulatus integro corpori & singulis ejus partibus, ita, ut corpori det totum ordinem esse perfecti, esse viventis, esse animalis, Sentientis, videntis &c. ut vult Divus Thomas; tunc non est pars intrinseca essentialis, istius individui quod est homo. Ergo non erit forma seu Principium informans. Quid ergo erit? Restat Spiritum illum fore tantùm motorem & temperatorem, sive principium rectionis & motionis Corporis. Porrò in Systemate Atomistarum nulla ratione ab intrin-

trinseco petita evinces Spiritum illum esse potiùs animam, & non quamcunq; aliam spiritualem creatam substantiam, æqualiter omnimodè regendo corpori idoneam. Et hæc videtur esse ratiocinatio Angelici Doctoris, quæ me vehementer confirmat. Dicit enim. *Si anima secundùm Platonicos, uniretur corpori, solùm ut motor, posset dici, quod non esset in qualibet parte Corporis, sed in una tantùm, per quam alias moveret. Sed quia unitur ut Forma, necesse est ut sit in toto, & in qualibet parte Corporis. Non enim est forma accidentalis, ut est vg. Domûs, quæ est compositio & ordo. Sed substantialis: quæ non solùm est perfectio totius, sed cujuslibet partis. Undè oportet, quod sit Forma & actus non solùm totius, sed cujuslibet partis. Actus enim est in omni eo, cujus est actus. Oportet igitur animam esse in toto corpore, & qualibet Ejus parte. Et ideo recedente anima, sicut non dicitur animal & homo nisi æquivoce; ita est de manu & oculo & carne & osse, ut dicit Philosophus.* (*e*) Quid Tu ad hæc Musoni? Spiritus tuus ne utiquàm forma Corporis Organici est, neq; enim

(*e*) 1. parte q. 76. a. 8.

enim totum Corpus ejusq; partes occupat. Quid ergo? Tantummodò motor est. Qualis motor? Quid dicam? Vejovis Acheronticus, pinealem glandulam, sive arcem tui cerebri Imperialem obtinet. Sed macte animo. Socratis enim maximi illius ac Sapientissimi Philosophiæ Parentis, fortuna Te amplexatur. De quo ita Cicero. *Divinum quiddam esse dicebat Socrates, quod ipse Dæmonium appellavit. Cui semper Ipse paruerit: nunquam impellenti, sæpè revocanti.* (*f*)

Muson: Contra hæc omnia dico: Incertum semper fuisse, quid nomine Formæ substantialis intelligi deberet.(*g*)

Minerv: Non contra hactenus dicta, & solidè probata, sed contra Te loqueris. Quorsum enim, ut indaginem evitares, ad distinctionem Principii informantis à non informante, quanquam frustra, confugisti? si incertus es, quid rei? quid nominis sit substantialis Forma? Aut cui hanc inscientiæ hebetudinē appingis? Minutulis de cohorte novitiorum Philosophis? Credo. Neq; enim in concordes sensus unquam venire, aut unum

N con-

(*f*) Divinat L 1 (*g*) Corsinus in Phys.

concinere potestis: Sed pro libertate opinandi, unusquisq; suos præsumit inausus. Hinc nova hæc Philosophia, nova in dies portenta educit, ne non semper Tiruncula, & monstrorum fæcunda esse videatur. Peripateticos tali stultitiæ præconio dignaris? Curre per omnes Scholas. Adibis Thomisticā? Peripatetica est. Subtilem Scotisticam convenies? Peripatetica est. Nominalium? Peripatetica est. Baconisticam? Peripatetica est. Universa hæc, & alia quæcunq; nobilissima Philosophorum Natio in unum conspirant, & pro firmò, certò, ratò, ac inconcusso habent: in compositis physicis, Formam substantialem esse, quæ materiæ dat simpliciter esse perfectum. Lateranensis & Viennensis Cōcilii Patres fortè imperitiæ censurâ feris? insaniîsti. Toto ergo Orbe lectissimos sapientissimosq; sacrorum Antistites: sanctionum consultis Divinos: Sancta Religionis Comitia celebrantes, tam profanos literarum fuisse putas? tam omnis eruditionis optimarumq; disciplinarum inopes? tam Philosophiæ rudes? tam expertes ingenii? ut pro fidei dogmate definiverint id, quod

quod secundùm essentiam & definitivè quid sit? prorsus nesciverint, non intellexerint, & pro incerto habuerint? Hoc Tu mussitare audebis quin temerarius audias?

Muson: Animæ diffusio per totum corpus, nulla ratione concipi vel defendi potest? (*h*)

Minerv. Hic est tandem Achilles vester, araneæ reticulo, velut adamantinâ tunicâ loricatus: Puerilis homonymiæ voculâ, tanquam hastâ subnixus. Qui DEO rerum omnium Conditori Immensitatem eripit, Omnipræsentiam negat, ubiquitatem tollit. Et cùm attributa Divina sint ipse DEUS; conjice, quantæ impietatis scelus Tibi impingere minitor? Et deducam certò; sed Achilles priùs dearmandus, delumbandus, deartuandus est. Et hunc quidem Divus Thomas proximè citatus, jam ad terram allisit: prostrato, geminat pugionem Divus Augustinus, ubi ait: *Non locali diffusione, sed quadam vitali intentione, anima per totū Corpus porrigitur* (*i*) *Non mole diffunditur;*

 sed

(*h*) Corsin de anima. (*i*) L. de Origin: animar:

sed in toto Corpore tota est, & in qualibet ejus parte tota est. (*k*) Ego internecinè concidã.

Ac imprimis docilitatis infantiam in Te demiror, quæ tam callosa est, ut tametsi non de Sarmatia, sed de medio latio sanguinem duceres; haberes tamen contribulem, qui vel juraret Te vervecum in Patria crassoq; sub aére natum; Quàm enim Cimmeriis tenebris obtusum esse oportet caput illud! quod tantis Ecclesiæ luminibus oggannit, quasi ea docuerint, quæ nullius intelligentiæ vis comprehendere polleat. Vel Tu Divos Augustinum & Thomam, dum totalitatem animæ per singulas Corporis partes adstruunt, aliquam singularem diffusionem, quæ substantiæ spirituali propria, debita, & insita sit, animæ adjudicare putas? Ergo non nisi temerè ac insipienter asseveras nulla ratione concipi posse ac defendi, quod à tantis Magistris ponitur sapientissimè, docetur subtilissimè, propugnatur solidissimè. Vel aliam quandam animæ diffusionem comminisceris, quæ à substantia spirituali aliena longissimè abest? Ergo crassi aeris homunculum Te esse demonstras, cujus phantasiæ talia ob-

(*k*) L. 6. de Trinit:

obversantur idola, quæ sapientûm somniaverit nullus. Visne ex hoc stuporis nubilo emergere? Sol Sapientiæ Augustinus aciem tibi mentis perstringat necesse est, Huc igitur utramq; aurem, huc cor, huc attentum animum confer, ut acutum intelligendi sensum recipias. *Per omnes corporis particulas*, inquit Sanctus Doctor, *tota simul adest anima. Neq; enim aliter quod in corpore etiam non toto sentit, tamen tota sentit: Namq; cùm exiguo puncto in carne viva aliquid tangitur, animam tamen totam non latet. Neq; id quod sentitur per Corporis cuncta discurrit; sed ibi tantùm sentitur, ubi fit. Unde ergo ad totam mox pervenit, quod non in tota fit? nisi quia & ibi tota est, ubi fit: nec, ut tota ibi sit, cætera deserit*, (*l*) Jam Tibi aliqua lux affulget? ut pernoscas, qualem animæ diffusionem edisserit Hypponensis Antistes? nimirum qualis formæ spirituali Corporis Organici, substantiali, essentialis est. Hic est gladius, qui totum Tibi, unà cum glandula pineali, sinciput à cervicè revellit. Quò se jam recipiet animula tua cordis arteriosum ventriculũ petet cum Diogene? inde abEmpedocle exacta, in sãgvinis con-

(*l*) de origine animarum ad D. Hieronym:

cretione demergetur. Hinc etiam mox enatabit, atque ab Epicuro & Parmenide in toto pectore, tanquam Regia sede collocabitur. Nullibi tamen salva consistet, nisi omne domicilij sui forum sua magnitudine impleat Hœros animus: sitq; Domus Dominô minor. Qui id fieri possit vis assequi? Consule Doctores. Quem? Nevtonum: phuy, Leybnitium; phuy Consule Hypponense oraculum. *Quæ potentiora*, inquit, *etiam meliora sunt. Quod his naturis datum est, quæ non mole majore plùs possunt, sed sine tumore ullo localis magnitudinis, eadem specie potentiora sunt, quæ meliora.* (*m*) Ex hoc responso intelligis: nobilioribus formis, & perfectioribus in Natura, ut sunt formæ spirituales perfectiorem deberi modum essendi, & agendi Nam *forma perfectior, continet virtute, quidquid est inferiorum formarum*, ait Divus Thomas (*n*) Sed continet eminenter, & excellentiori quadam ratione. Unde, quod Formæ imperfectiores, sive materiales præstare nequeunt, nisi beneficiô quantitatis extensivæ, id longè præstantiore

(*m*) de Immortal: animæ. Cap. 16. (*n*) 1ma part: quæst 76. a. 6.

tiore efficientia perficit Natura spiritualium formarum: quæ non locali magnitudine, sed exaggeratæ virtutis porrectione, in parvo juxtà vel magno corpore, vitaliter se diffundunt.

Et jam Achilles Tuus, tanquam sacrifica pecus, sub cultrum venit. Sic enim eum disseco. Animæ diffusio per totum Corpus, per modum quantitatis extensivæ, nulla ratione concipi vel defendi potest? Quis infitiatur; quis pernegat? aut negavit unquam? quis unquam dubitavit repugnare formæ spirituali quantitatem corpoream. Quis tam plumbeus est ut Tu? si talem Tibi idæam in mente fabricas? Animæ per totum Corpus diffusio per solam essentiam, quæ sua virtute æquipollet extensioni corporeæ, immo longè præpollet, nulla ratione concipi vel defendi potest? hæc affirmatio; quoniam à Divo Augustino & Thoma luculenter redarguta, profligata, difflata est; nescio si ullibi patrocinium aucupari possit: nisi fortè, de quo non litigo, in perlevi quopiam & velitari ingenio. Ingenio inquam quo nulla fatuitas non facilè Patrono potiatur. Datam distinctionem pro-

prolixè ac intelligenter à se pertractatam, Divus Augustinus satìs quidem in luce posuit. Tamen etiam Angelicum Magistrum conveniamus. Quærit ille: *utrum DEUS sit ubiq;?* Ac ex Persona Atheistarum, (errore lapsa lingua est, debui dicere Atomistrarũ) objicit. Quod est totum alicubi, nihil ejus est extra locum illum. Sed DEUS, si est in aliquo loco, est totus ibi, non enim habet partes. Ergo nihil est ejus extra locum illum. Ergo non est ubiq;. Quid putas; qualiter istud objectamentum dissolvit ac discutit? Limpidissimè, Angelicè. Verùm ne verbô quidem à Nostra distinctione dissidet. *Quod est totum, totalitate quantitatis, non potest esse extra locum in quo est: quia quantitas locati, commensuratur quantitati loci. Sed totalitas essentiæ non commensuratur totalitati loci. Unde, illud, quod est totum totalitate essentiæ in aliquo, non oportet quod nullo modo sit extra illud. Et quia in substantiis incorporeis non est alia totalitas, nisi secundùm perfectam rationem essentiæ; ideo, sicut anima est tota in qualibet parte corporis; ita Deus totus est in omnibus & singulis (o)*

(m) 1. parte quæst. 8. art. 2. ad 3tium.

Habemus tanquam in speculo objectam duplicem rerum diffusionem corporatarum, & incorporearum. Prima est secundùm extensionem continui quanti; altera secundùm mensuram majoris majorisq; perfectionis in natura. Prima competit entibus, quæ sensibus parent; altera solius rationis lumine attingi potest. Primam componunt res divisioni partium subjectæ: ut, àër, ignis cæteraq; ex elementis conflata: altera propria est & essentialis solis spiritibus, compositionis expertibus, ut sunt DEus, Angelus, Anima. Prima continetur certîs termi nîs clausa, altera omnis circumscriptionis impatiens non continetur loco vel corpore in quo est, sed continet illud. Prima *replet locum per contactum quantitatis dimensivæ: altera replet spatium in quantum illud contingit sua virtute. Unde, secundùm quod sua virtus se potest extendere ad unum, vel multa; secundùm hoc est in uno vel pluribus locis.* Ut explicat Divus Thomas (p) porro in substantiis incorporeis, extensio virtutis, & extensio essentiæ, non re sed sola ratione discrepant. Sunt enim Entia Naturâ simplicissima, Eo

(p) Ibidem ad 1mũ & 2dum.

Eorum, quæ dicta sunt, majoris intelligentiæ gratiâ, vel tibi, si capere vis, vel si oculos perdidisti, saltem adolescentûm salubrioris Philosophiæ comparandæ studiô flagrantium, discutiendæ caligini: offunditis enim vanissime corpusculorum ventilatores, ùt vos Quintilianus vocat (q) turbine quodam pulverulento offunditis adolescentûm oculos, & nugaci histrioniâ distentos ac hiantes ludificamini. Horum inquam abolendo fascino, repræsento coràm, Angelici Doctoris explicationem, rationem, & modum, quo totalitas animæ diffunditur per Corpus organicum. Sic ille. *Est quoddam totum, quod dividitur in partes quantitativas, sicut corpus & linea. Est etiam totum quod dividitur in partes rationis & essentiæ: sicut compositum resolvitur in materiam & formam, & definitum in partes definitionis. Tertium autem totum est potentiale, quod dividitur in partes virtutis. Totalitas quantitava non potest attribui animæ. Sed totalitas secunda, quæ attenditur secundùm rationis & essentiæ*

(q) Ventilatores dicuntur, qui ea, quæ emiserint, ultro venire ad manus credas, & quà jubentur decurrere. Lib. 10. cap. 7.

sentiæ perfectionem, similiter & totalitas virtutis, propriè & per se convenit formis: quia forma est operationis principium. Sic ergo anima secundùm totalitatem perfectionis & essentiæ, tota est inqualibet parte Corporis. Secundùm autem totalitatem virtutis, non ita. Quia non in qualibet parte Corporis est secundùm quàmlibet potentiam suam, sed secundùm visum, est in oculo: secundùm auditum, in aure: & sic de aliis (r) Nihil addo tantæ auctoritati, nè meridiano lumini induxisse nubem videar mea tenui commentatione.

Tanti verò à Sanctis Patribus habetur explicata animæ diffusio, ut illâ tanquam ideâ clarissimâ, utātur ad demonstrandam DEI Nostri Maximi immensitatem, & vicissim diffusione DEI per Universum, animæ totalitatem per omne Corporis Organici punctum collatatam ostendere, confirmare ac dilucidare non omittant. Quasi, qui illam confidenter negare ausi fuerint, Philosophi; in album Atheorum dedisse nomina censendi sint; quî verò illam pro viribus operosè propugnant; Deo, pro divinitate sua vindicanda, strenuam

(r) 1. parte: quæst: 76 ar: 8vo.

am manum & operam probentur consecrâsse, Et quidem Divus Thomas jam recitatus: *sicut anima est tota in qualibet parte Corporis, ità DEUS totus est in omnibus & singulis.* Quorsum ista comparatio? nisi ut omni intellectui rectè disposito elucescat: demonstratione unius, evincî alterum: & ejus labefactione, illud everti. Promo & aliud Ejusdem Doctoris pro Divinitate, magni roboris telum. Quærit ille: *utrum DEUS sit in omnibus rebus?* & contradicentibus respondet. *Licèt Corporalia dicantur esse in aliquo sicut in continente; tamen spiritualia continent ea in quibus sunt. Unde sicut anima continet Corpus in quo est; ità DEus est in rebus, sicut continens res.* (s)

Hæc tandem sententia captum undiq; & laqueatum strangulat Te. Postulo enim, pars illa cerebri callosa, in qua Tu animam collocas, estnè corpus? Omnino. Ergo constat partibus trinæ extensionis in longum, latum, & profundum: hæc enim est vestra Corporis definitio. Postulo ulteriùs: Anima callosæ cerebri parti copulata, quomodo illic residet?

(s) 1 p. q. 8. a. 1. ad 2dum.

det? Vel corpore illo tota continetur, nec ultrà est? Vel Corpus cui affigitur, continet ipsa, si primum asseris? absurdum equidem est circumscribi locô naturam spiritualem, sed hoc ultro damus Tibi. Infero: ergo corpus illud in quo clauditur implet anima secundùm longum latum & profundum. Non extensione quantitatis. quæ spiritui repugnat, essentiæ igitur. Tota itaq; est in parte quæ in longum: tota in parte quæ in latum: tota in parte quæ in profundùm porrigitur. Ergo est tota in toto, & totâ in singulis partibus corporis in quo est. Si secundum admittis? ut jure à Te extorquet Divus Thomas: concedas necesse est, majorem debere esse amplitudinem continentis, quàm molem contenti; ut, si corpus contentum diffunditur in longum latum & profundum latiùs excurrat animæ porrectio, quæ Corpus illud circumfundit. Atqui non locali diffusione, ergo perfectionis naturæ extensione. Utrinq; igitur teneris & vapulas. Sive hoc, sive illud elegeris, animæ diffusionem negando adstruis, & quod nulla ratione intelligi aut defendi posse procaciter clamitas;

nul-

nullam rationem reliquam habes, quominùs agnoscas & confiteare id quod abnegas. Nihil enim refert, in parvo corpore vel magno, dilatationem Naturæ Spirituali attribueris: cùm æquali virtute ad utrumlibet prædita sit, ut docet Divus Thomas: *Secundùm quod virtus sua se potest extendere ad parvum vel magnum, secundùm hoc est in loco parvo vel magno* (t)

Huc accedit digna scriptore Augustino enuntiatio. *Sicut DEUS ubiq; est totus in toto Mundo, & omni creatura sua, sic anima ubiq; tota in toto Corpore suo, tanquam in quodam Mundo suo* (u) Huc insuper Damascenum, huc Tertulianum trahit, huc totum se confert Divus Bernardinus Senensis. *Sicut DEUS non continetur ab Universo, sed continet illud, sic secundùm Damascenum Anima non continetur in Corpore sed continet illud. Sicut D E U S implet totum Mundum sic & anima totum Corpus humanum, plena & occupata sunt omnia suo auctore, inquit Tertulianus. Ita quoq; in toto Microcosmo Corporis humani, nullum est invenire punctum quod non vificetur ab anima* (x) Scio

(t) Ibidem art: 2ad 2dum.
(u) In operibus Augustini de Spiritu & anima cap. 18. (x) serm: 51. de Dignitate Hominis

Scio quid in Tui defensionem apparâsti. Nimirum: nullibi usurpari de Deo hanc vocem *diffundi*. Jamnè evasisti? hoc solemne vobis est, hoc arguendi genus frequentissimum, ut in ambiguitate voculæ, ancipiti sensu vacillantis, omnem rationum exsertam vim collocetis. Verùm & hunc scrupulum Tibi evellet Hilarius Pictaviensis. *Deus infusus & circumfusus: exterior interna concludit: & circumscriptione Spiritûs sui, cuncta transcendit* (y) Quid verò Tu respondebis Damasceno affirmanti: *Deus est incircumscriptibilis & Infinitus* (z) Quid Divo Augustino? non æquabilibus verbis cum Hilario consonat? ubi ait: *DEUS idem ubiq; totus: nullis inclusus locis: implens Cælum & terram præsente potentia: per incircumscriptam substantiam, & immensibilitatem incommutabilis naturæ* (a) Quid aliud Tibi vel Hilarius, vel Damascenus, vel Divus Aurelius enuntiâsse videntur, quàm quòd in sacris literis de DEO legimus:

(y) Lib: 2. de Trinitte.
(z) L 1 Ortodoxæ Fidei cap. 4.
(a) de Civitte Dei lib: 7. cap. 30. & de speculo cap. 32.

mus: *Excelsior Cœlô est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terrâ mensura Ejus, & latior mari.* Job. 11.

Neque Te ab impietate salvabit risu dignum Cartesianorum commentum, qui supremi Entis ubiq; præsentiam explicare conantur per orationẽ seu cogitationem. Nam quidquid illi balbutierint, diffusionem DEI secundùm substantiam sive Essentiam suam per omnia creata non auferent. *DEUS est in omnibus per essentiam suam: quia substantia sua adest omnibus ut causa essendi*, ait Divus Thomas (*b*) Atqui causa essendi habet se pro priori ad causam operandi: ergo si adest omnibus per operationem; adest & inest omnibus creaturis per substantiam suam. Id quòd ulteriùs ità enucleat Angelicus. *Oportet omne agens conjungi ei, in quod immediatè agit, & sua virtute illud contingere. Cùm autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam; oportet; quod esse creatum sit proprius effectus ejus: sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis. Quam diu igitur res habet esse, tam-*

(*b*) 1. prte quæst. 8. art 3. ad 1mum.

tamdiu oportet quod DEUS ad sit ei, secundùm modum, quo esse habet. Sed esse rei est illud, quod est maximè intimũ, & profundiùs inest cuilibet Ergo oportet, quod Deus sit in omnib9 reb9 intimè. Unde nihil est distans à Deo, quasi in se illud DEUM non habeat: ad maximam enim DEI virtutem pertinet, quòd immediatè in omnibus agit. (*c*)

Hic Ego temetipsum tibi ante oculos tuos, verum Atheum depingam. Ad quod, his argumentis accingor.

Qui abrogat DEO attributum ipsi essentiale, Atheus est. Sed qui Naturæ Spirituali ùt est anima, adimit diffusionem per totum Corpus, abrogat DEO attribum essentiale: nempe prædicatum ubique essendi: hæc enim adeò secum conjuncta sunt, ut ex uno, per rectam consecutionem, eliciatur alterum: & si rescideris primum, tollis secundum, ut fusè ex Sanctis Patribus declaravi. Ergo &c.

Alterum. Diffusionem animæ per totum Corpus, utpoteNaturæ Spiritualis, nulla ratiòne concipi vel sustineri possibile est. Hæc est assertio Tua. Ergo, infero, neq; possibile est concipi vel sustisteri ulla ratione diffusionem DEI per uni-

O

(*c*) Ibidem art. 1.

niversum. Deus enim est Natura Spiritualissima ùt maximè. Qua igitur ratione existentiam DEI ubiq; contra Atheos defensitabis? aut quomodo à censura sceleratæ cum illis consensionis Te eximes? nullus video. Siquidem DEUM ubiq; diffusum, nulla ratione vel concipi, vel defendi posse, apud Te conclusisti.

Vel breviùs. Substantia Spiritualis diffusa per totum corpus, apud te chimæra est. Sed DEUS est substantia Spiritualis, diffusa per Universi Corpus. Conclusionem non eloquor, nè impiis verbis, seu lingva, seu calamus, seu piorū, aures perturbentur, profanentur, contaminētur.

Vel itaq; tot & tam exquisitis rationum momentis constrictus; tot & tam consonis Ecclesiæ Patrûm sententiis pressus, Istis primas concedere tardabis, diffusionemq; DEI secundùm substantiam, per Universum, profiteri, tueri, prædicare promptus eris: Ergo & animæ diffusioni secundùm essentiam, per totum corpus, assentiri, & sic Epicureo Systemati, tanquam falso & incredibili, nuntium in omne tempus remittere Te oportet. Vel si adhuc in tuo sensu contumaciùs perduras

duras, Animulæq; tuæ glandula pineali oppilatæ, quatenus se se extrà in corpus proferat, ne latum quidem ungvem imperties: Ergo & DEUM in omnibus rebus creatis, secundùm esse suum intimè præsentem tollis: & sic in Atheorum tribu infame stipendium in omne tempus merebis. DEUS enim si non in omni loco præsens coràm est, DEUS non est. Quia neq; omnimodè immensus, neq; omnia, implens, sustentans, & complectēs neq; omnia magnitudine sua infinitè super excedens erit. Vide Musoni, quò Te nova hæc circumventorum Philosophia præcipitem agit!

Theopr: Sat nimiumq; disseruisti, Minervine: ad meam & Musonii patientiam exercendam. Nosti aures meas, quantùm ab odiosis dicteriis abhorreant, neq; tamen toties, admonitus rusticitatis ingenium projecisti. Sævis ubiq; in æmulum, & opiniones suas ingenuè proponentem, non cessas *mordaci radere vero* (*b*) Validè Tu quidem strenueq; contrà insurgis, & si arguendi vim, lenitatis condimentis temperares triumphare.

 utiq;

(*b*) Persius.

utiq;Sed cùm omne temperationis frenum respuis, non satis decentè gloriâ à Quintiliano recipies. *Quæ fortia, cùm dicuntur, videbantur: stulta cùm læserint, vocantur.* (c) Libellos meos tres, quos optimarum artium studio propagando pervulgavi, legisti fortè, non dubito. Advertere debueras, quātâ industriâ cavi, nè procaciæ verborum indulgens, cujusquam indignatiunculam exasperarem. Equidem jus talionis contrà se omnibus dederunt illi, ut libero ingenuoq; fastidio concastigati vapulent; qui parùm ingenuam castigandorum eloquentiæ operum, libertatem, insolenter ac vanissimè sibi arrogârunt. *Censuram enim maledicendi obeuntibus, etiam malè audiendi, præsumenda patientia est, inquit.* Fabius (d) Nunquam tamen imperare mihi potui talem immodestiam, ut talione viderer certare velle potiùs, quàm insulsitatem svavitudine, mansuetudine ferociam, audaciam dissimulantiâ confundere. Fateor non parcum fuisse me salis, leporis, & acuminis : *quæ mirùm quantùm in dicendo valent!* inquit Cicero. *Est enim planè oratoris, movere risum:* monet Idem. *Vel*

(c) lib 12. cap 9. (d) ibidem

quod ipsa hilaritas benevolentiam conciliat: vel quod frangit adversarium, quod elevat, quod deterret, quod refutat: vel quod ipsum oratorem politum ac eruditum esse significat: vel quod severitatem relaxat, odiosasque res quas sæpè argumentis dilui non facilè est, joco risuq; dissolvit. (e) Tam laudabile & excellens artificium non mihi deserendum esse duxi, præsertim, ubi manifestæ ineptiæ liquidò exagitandæ venerant, aut ratiuncularum inanitas explodenda. A severioribus tamen aculeis alienus, Studiosè in hoc intendi, nè quispiam dentatis salibûs indignè laceraretur.

Certè, *in Eloquentia propugnata* cùm vibrantioribus sententiis, tum flexanimæ lenitudinis arte, tam honorificè tractati sunt illi, cum quibus dissertabam, ut victos, quidem se, fateri non inviti potuerint: mucrone verborum percussum, aut felle perfusum se, qui non ægro lapsoq; judicio fuerit, possit conqueri nullus. Quæ non invectionum fulmina commeruit Isidori Oliverii effrenata lingvæ petulantia? ille probra in omnes conjunctim ac generatim Scholas non evomuit? quasi

(e) de oratore lib. 2.

non è Rostris Tullianis, pudet dicere Romanis, verba faceret; sed ùt proverbium fert, è Plaustris contumelias meras elatraret. Quid sunt apud Illum omnes sive Angelicæ, sive subtilis sapientiæ Principes, Doctores & Magistri? Quid omnes cum Divo Thoma Peripathetici? Insani, inepti, perniciosi, rabulæ, blaterones. Quid literariæ Disciplinarum Classes? Grammaticorum cloacæ! Perspexisti tamen, quanta animi moderatione, quâ sermonis comitate, jucunditate, ejus à me duritas pertractata suaviter, ejusq; in humanitas leniter palpata fuerit ut objurgationis quidem solidam vim apprehenderet: acrimoniam nec advertet quidem.

Hæc omnia exemplum Tibi præbebant optimum, ut ab omni Stomachosa morositate Tibi temperares. Equidem *differentium inter se reprehensiones non sunt vituperandæ*, inquit Cicero. (*g*) Verùm si contra officiosæ civilitatis mores peccant, & inhumaniùs effervescunt; jam non reprehensiones, sed maledicentiæ habentur. Pericles, teste Fabio, in votis habebat, nè quod sibi verbum in mentem veniret quô populus offenderetur. (*h*) Pericles ille cujus, si Tullio credimus, suavitate maximè hilaratæ sunt Athenæ: cujus ubertatem & copiam admiratæ: cujus vim dicendi terrorēq; timuerunt. (*i*) Vides summam dicendi vim, cum summa suavitudine stare posse: nec minùs ab offensione animorum distare, disputatoris officium, quàm à felle, mel hymettium. Atheniensibus coram dicturus orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat: *erat enim illorum semper prudens sincerumq; judicium.* (*k*) Quid? an Tu similem Magistratum, etiam hìc non invenies? aut optimum, si Diis placet, literarum apud Polonos Præsidem, nescio quem, cujus judicatu, utrum per æquè prudente ac sincero? anceps animi sum, non existimo: vir fellis plenissimus, aut insanus Aristotelicæ Philosophiæ assertor pervulgaberis. Hæc erit summa cumulatissimi tuarum laudum præconii.

Minerv: Inauditum nomen produxisti

(*g*) de finibus.

(*h*) lib 12. cap 9. (*i*) in Bruto.
(*k*) Cicero in oratore.

sti Theophraste. Quis enim iste est per Regnum Poloniæ & magnum Lithvaniæ Ducatum universæ Rei literariæ Moderator Optimus Maximus? Nobis tamen, qui ejusdem literariæ Reipublicæ, nec modica, nec obscura, nec minorum gentium pars sumus, nobis inquam omnino nescius? vel ut, pristinæ Venustatis Plautinâ elegantiâ depingitur, nullius coloris Præses? A quo tandem constitutus est? A quo tã præeminentis Dictaturæ sibi delatam habet provinciã? doceri volumus. *Theopr.* Penitus ignarum percontaris. *Minerv:* Fortè ab omnibus Regni Ordinibus literas Privilegii lucras est. *Theopr.* Id quidem publicum foret; latere posset neminem. *Minerv.* Ergo forsitan solo domestico apud se suffragio ipse sui Elector, ipse sui Creator, ipse sui Tibicen est. *Theopr.* asseverare nihil ausim nec aliud possum dicere, nisi quod didici de curtio celebri Historico, de quo octovianus Augustus dicere solebat. *Curtius quidem videtur mihi ex se natus. Minerv.* Præstolemur inaugurationi, dum vir optimus, tam præcelsi Regiminis capesset habenas, ac Insignia induet: tunc ad oscu-

osculum manꝰ aureolæ certatim decurremus universi. *Theopr.* Tu quidem jocaris in re seria, sed interim parcendum tibi esse puto, nam & jocus quandoque plùs quàm serius est. *Minerv* Quinimò, intolerabilis arrogantia, lepore magis elevanda videtur, quàm contentione frangenda: Tullii Magistri judicio, *de oratore. Theopr.* Cui Tu sublatianimi tumorem, & magnos Spiritus adscribis, eidem summa dicendi prudentia, & incomparabilis eruditionis nomen à suis hominibus conceditur. Hæc autem quî convenire possint? Siquidem altissimæ prudentiæ jurata soror est, summissa modestia. *Minerv:* Quisquis ille ex suis hominibus fuerit, novi literatorum Præsidis creator, celebrator, admirator: existimationis suæ buccinator: sui Nominis Præco magnificus, ac incredibilis, is ipsissimus est, qu quæsitam apud omnes Viro bono prudentiæ gloriolam (vicem viri honoratissimi effusè doleo) apud omnes ad assem decoxît, ac profligatam reddidit. Nihil enim minus quàm id animô præsumentem, æmulatorum irrisionibus, ac rhonchis: malevolentium odiis: Lynceæ perspi-

spicacitatis Virorum falsis dicteriis: *mulus mulum scalpit*! exclamabunt enim. Omnium deniq; sapientûm fastidiis exposuit, unus ille ex suis hominibus!

Theodr. Lepidulè inficetus es Minervine. Pungis enim atrociùs jo culariter dicaci sale & in imis medullis defigis aculeum, tam acri impetu, ac si politioris urbanitatis vel rudis omninò, vel immemor. Talis quidem dicendi ratio bene artificiosa, & non incallida est: nescio tamen si alicui ad stomachum & salivam faciet: sed tu infra te duc ista, neq; notã petulantiæ metue, dum à solido veroque sensu, minimè deflexisti. Miraris fortè, quod præter morem meum, indulgentiùs tecum agam? Id quidem verùm est. Lenitatis tamen istius causam, latere Te volo; neq; dicam: nè, si Tibi fortè suboluerit Persona, cujus incognitæ licèt, injuriam non malè persecutus es, impotentiùs excandescas. Quanquam ille, quem Tu ignoras, injuriosè percussus, ridet iniqui derogatoris præjudicium, ejusq; felle suffectam morsiunculam susdeq; fert ac despuit: minusq; de his laborat, quàm de ranis palustribus. Quid enim illi officere

re possit Pseudocriticorum censoria macula? quàm aliquis ex his, quos bonos duntaxat literatores citra invidiam nominare fas est, asperserit? si eam scientissimi cordati, integerrimi, ac Divini in dijudicando rerum Cognitores, falsitatis, temeritatis, indignitatis, criminationis ream continuò proclamaverint? Quorum suffragationis contra maledicos, tam securus est ille, quem tu nescis, ut unum id subvereatur, nè nimio plùs, exaggeratis præconiis, detrimentum rectæ comprobationis accipiat. Namq; ementita superlatio tantùm de ornamentis veræ laudis arrodit, quantùm à sincero & probabili colore devia est. Et sive dum alterum supra modum, supra fidem: supra omnem sagacioris ingenii: supra omnem limatioris judicii hominum opinionem, altiùs in Cælum sustulit; sive dum alteri justum gloriæ censum suffuratur, & elogii vice, cavillum assuit, utroq; versum æqualiter conviciatur, dissono quidem obtrectandi genere insolens, non minùs tamen odioso. Nisì quòd diminuta laudatio, & morsu obstrepens, tolerabilior sit, eò, quòd omnes indignationum motus ver-

vertantur in Personam solius maligni laudatoris. Contrà verò, enormiter magnificata prædicatione, incredibilis plurimorum livor, offensio, aspernatio, conciliatur ipsi laudato.

Longiùs quàm volebam abripuisti nos tuâ Minervine interlocutione. Interea sol præcipitat. Imponendus tandem finis est discussioni hodiernæ. Ad Te igitur sermonem verto Musoni. Duo tibi in hoc prælio Philosophico præstanda erant. Alterum, ut omnes in Te ab Adversario jactas invidiolæ tragulas, eâ, quæ fortibus viris convenit, animi generositate concoqueres; alterum, ut argumentorum, quibûs opprimebarê pondus, vim, & efficaciam, æqua lance perpenderes. Primum Te præclarè fecisse, nota mihi persvadet tua animi moderatio. Alterum, si considerate dispexisti, non potes inficiari, superiorem causâ esse Minervinum. Quid quid enim probandum assumpsit, id firmissimo complexionum nervo, & pressa coarguendi ratione, ad liquidum confessumq; perduxit. Longum est colligere omnes aberrationes, quibûs novam hanc Philosophiam

phiam, scatere demonstravit ille: unum quod præteriisse videtur, ego præterire non possum. Nimirum de resurrectione Corporum, quam, in symbolo fidei confiteris quotidie, malè & sinistrè schola vestra meretur: quam enim Physicam ex natura rei causam dabis, quare cum corporibus resurgemus? si (id quod Tu ex Corsino accepisti,) anima est logicè indifferens ad uniri Corpori vel non uniri? si naturâ suâ non differt ab Angelo? si enim non est forma propriè talis corporis organici, neq; pars essentialis istius compositi individui, quod est homo; nihil de innata perfectione sibi decedet, per separationem: nullumq; dicet respectum ad Corpus, nullam inclinationem: æquè, plenè ac perfectè beata sine Corpore, sicut Angeli. Cessat itaq; principalissima causa resurrectionis corporum ex intrinsecis prædicatis naturalis animæ perfectionis desumpta. Quam igitur in animis hominum ingignet opinionem talis Philosophus? Nempè, ut in articulo de resurrectione Corporum, vel ambigui & vacillantes sint, vel penitus increduli: vel firmissimè persvasi, cum recta ratione

ne duce stare non posse hanc veritatem, quæ profectò divina est. è contrario Peripathetici cum Divo Thoma, mirùm quantùm illustrant & corroborant præcipuum istud christianæ dogma fidei. Quærit Angelicus Doctor, utrum ad perfectam beatitudinem animæ oportet eam corpori reuniri & respondet. *Finalis perfectio, quæ consistit in consecutione finis ultimi, requirit perfectionem primam. Prima autem perfectio uniuscujusq; rei est, ut sit perfectum in sua natura. Natura animæ est, ut sit pars hominis, ut sit forma. Nulla autem pars perfecta est in sua natura, nisi sit in suo toto. Ad hoc igitur ut Anima humana omnimodè perficiatur in Fine, necesse est, quod sit perfecta in sua Natura: quod non potest esse, nisi sit Corpori unita. Requiritur ergo ad ultimam hominis beatitudinem ut anima rursum Corpori uniatur. Item non potest esse omnimoda immobilitas Voluntatis, nisi naturale desiderium totaliter impleatur. Cùm autem anima humana Corpori uniatur naturaliter; naturale ei desiderium inest ad Corporis unionem, sinè quo non poterit esse perfecta quietatio voluntatis* (l) *Hæc quidem*

(l) Compend: Theolog: cap. 151.

dem ita liquidissima sunt, ut animum perspicacem affatim illuminare possint: tamen accipe plura. Cùm animæ naturale sit Corpori uniri; esse sine Corpore est sibi contra naturã: & sine Corpore existens non habet suæ naturæ perfectionem (m) Unde; *sicut Corpus leve manet quidem leve cùm a loco proprio fuerit separatum, cum aptitudine tamen & inclinatione ad proprium locum: ita anima à corpore separata, manet quidem in suo esse, habens aptitudinem & inclinationem naturalem ad Corporis unionem.* (n) Habes itaque rationem physicam ex principiis sanioris Philosophiæ petitam, quæ luminis naturalis judicio demonstrat futuram necessariò corporum resurrectionem. Quam fidem vestra Novitia doctrina, cùm ex cordibus humanis evellere, tum penitus evertere commolitur. Defensitare certè propugnareque contra infideles, nullâ ratione poterit. Agedum Musoni: cum Saraceno commissurus es: cum Arabe Philosopho pedem conferes. Argumentum certaminis est futura Corporum resurrectio. Barbarus, Evangelio non credit;

(m) 1ma p. q 118. art. 3. in Corp.
(n) 1ma p. q. 76. art. 1. ad 5.

dit: doctrinam sacram omnem ludificatur: Aristotelem instar alicujus Numinis observat. Quid facies? Peripatetici facilè illum absolvent, ostensuri, quòd anima Corpore spoliata non sit perfecta in sua natura: Proinde ad Auctorem Naturæ pertinere, ut in fine sæculorum reddat omnem naturalem perfectionem creaturæ immortali debitam. Tu verò quid? quibus rationibus illū debellabis? Ille potiùs Arabs, atomistarum principiis pressum Te, & in angustias compactum, captivumq; in triumpho ducet. Quare si Tibi oculi mentis patent, Musoni neq; pernicioso studio vanæ victoriæ caligant; omnino agnoscere debes multis nominibus improbabilem esse novam hanc Philosophiam.

Minerv. Fortè cœnandi hora propè est, jam enim multum inclinat dies.

Muson: Quinimò, si me sensus non decipit, clangor æris campani circumsonat, certissimum propinquæ cœnæ classicum. *Minerv.* Quid tu sensus consulis? hebetes sunt. Consule glandulam cerebri pinealē: ibi enim solummodò, tu vides, ibi audis, ibi sentis, ibi gustatum & odoratum percipis. *Theopr:*

Theophr: Mitte ista nunc, & in commodiorem tempestatem rejice. Ne verò deinceps ad ejus generis colloquia imparati descendatis; proximi consesûs materies erit Verbi DEI Hominis carnem induti, in carne agentis & patientis mysterium.

Muson: non est falx mittenda in alienam messem: hæc tota difficultas Theologica est.

Theophr: Falleris. Natura hominis nonne Philosophicæ considerationis est? DEUS in carne, nonne verus homo secundùm naturam est? Debebis itaq; Musoni, proxima redeunte controversia, duas hasce Theses vel laudare probareq; vel improbare. Prima est. Redemptor generis humani Christus Dominus, toto suppliciorum suorum tempore, nullum in tota carne sensibilem, corporeum dolorem perpetiebatur? sed omnis plagarum immanitas à rabie carnificum irrogata, in sola duntaxat cerebri glandula pineali suscepta & exantlata est? Altera. Qui de tormentis corporis Christi, ejusq; secundùm carnem cruciatibus, priori propositioni contraria

omnia sentire, loqui, in Scholis tradere, in Exedris prædicare attentant; eorum opinionem rudem omnino vulgarem, indoctam, insipientem, planeq; ex Infantiæ præjudiciis ortam esse? Theses istæ, congressioni futuræ militabunt. Sunt enim erutæ ex Edvardi Corsini Psychologia.

Vos interim festinate velociùs, quo vocale obedientiæ signum nos evocat. Sequar ego sed longò intervallo. Pedetentim enim, & tardiusculo passu carpendum iter mihi est, nec sine socio scipione.

Circiter calendas Junias, intervenerunt Sacratiores feriæ, cùm Spiritus Sancti in Apostolos descendentis anniversario cultu celebres: tum Sanctissimæ Eucharistiæ peculiari per octiduum Solennitatis ritu percolendæ. Per quod Sacrum tempus non vocabat Magistris & Professoribus, ut commodam animi relaxationem vel ad breve otium, in rusticatu captarent. Quare Tusculi mei siluit frequentatio, & ego in amica mihi solitudine conquievi: a ficatisq; curiosis cogitatiunculis, unicè studiis cælestibus,

bus, æternorumq; contemplationi tradidi me. Neq; tamen sic Philosophi Personam abjeci, nam, ut ait ille, tota. *Philosophorum vita, commentatio mortis est.* (o) Quæ verò postea disputata sunt de natura humana Christi; Ejusq; ad Personam Verbi unione: de principio vitali brutorum, utrùm animæ belluinæ sint purè Spirituales, rationisq; non omnino expertes? De genuino charactere criticorum, & spurio Pseudocriticorum. Hæc, & quàm plurima alia literis mandare non cunctabor, si mihi vita Comes manserit, prosperaq; & non penitus afflicta valetudo.

(o) *Cicero Tuscul: quæst:*

FINIS.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0021983